


MONOGRAPHIA
CARABORUM

SVECIÆ

A

GUSTAVO DE PAYKULL.



UPSALIÆ,

LITTERIS DIRECT. JOHANN. EDMAN, MDCCXC.

K 5150

50

LECTORI.

Si in speciebus Generis Staphylini determinandis perobscuras auctorum descriptiones querendi mihi ratio fuerit, potiori jure eandem obtinere autumaverim in Caraborum genere considerando, quod jam Entomologorum defero examini. E re certe fuisset, ut numerosæ in illo occurrentes species & varietates præ multis aliis Insectorum familiis, sub accuratiorem quæstionem curiose revocarentur. Quippe cum Charakteres specifici ex coloribus solis, iisdemque interdum haud probe observatis saepè petuntur, non mirum est, si ita tricis involuta sit cognitio earum, ut ex illis nulla certa synonymia expediri potuerit. Jam in eandem descriptionem plures quadrant species, jam in unam collatæ, jam denique in plures disjunctæ existant. Frequenter hæc occurrit in Carabis confusio, nec unquam

evitabilis est, nisi Entomologi, una cum colorum differentiis, essentiales Insectorum partes, huc usque solito sollicitius respiciant.

In amplioribus generibus ad certam quan-
dam speciem expeditius inveniendam egregie
conferunt idoneæ subdivisiones: nec tales sub-
ministrandas omiserunt auctores, sed tamen
interdum, quod fatendum est, minus rei
accommodatas; quarum argumenta ut ex-
hibeamus, ultra Carabi genus progredi
haud nobis opus est.

In MAJORES & MINORES illud dispe-
scuerunt Ill. a LINNÉ atque FABRICIUS. Sal-
va tantorum nominum reverentia dixerim
hoc factum nimis properato consilio esse
imputandum, præsertim cum mensuram plu-
rium variantium specierum determinare non
detur. Sic e. g. *Carabus triliniatus*, qui
ma-

majoribus a FABRICIO accensetur, Carabo ruficorni, aliisque multo minor sæpenumerō reperitur, quos supra laudatus Auctor inter minores recenset.

Omnis proinde subdivisio, quæ a quadrundam corporis partium dissimilitudine essentiali, vel earundem defectu non desumitur incompleta evadit; cui conclusioni in nixus adstruxi meas dispartiendi methodos.

Caraborum quidam alis instruuntur, quidam iisdem carent. Nemo mihi obiectat species hac in parte variare, adeo ut exempli gratia alter sexus alatus conspicetur, alter vero apterus. Ea inter multa individua, quæ considerandi non solum mihi ansa fuit, sed etiam anatomice inquirendi, nunquam alterum sexum alis præditum, alterum ipsis destitutum inveni. E contrario in hoc genere sexus sibi invicem ma-

gis similes notavi, quam in plerisque aliis; cumque talis discrepancia nec ullibi ab Entomologis observata sit, hoc in momento nulla dubitatio diutius obtinere debet, quin hæc divisio genuina sit. Si Carabus quidam e. g. Leucophthalmus ab Entomologis jam alatus jam apterus sit descriptus, hic eorum dissensus exinde est derivandus, (quod spero me evidenter probaturum,) quod plures species in unam sint commixtæ, quas inter quædam apteræ, quædam alatæ fuerunt.

Propterea, Ill. DE GEERII secundus sententiam, non dubitavi Carabos in duas Familias primarias partiri, scilicet in APTEROS & ALATOS. Eorum vero tantus est numerus, ut utraque familia ulteriori indigeat partitione. Apterorum quidam thoracem habent postice emarginatum, quidam transverse truncatum; sic eos divisi in

APTE.


APTEROS *thorace postice emarginato*, & **A.
PTEROS**, *thorace truncato*. Inter alatos au-
tem alii habent thoracem obcordatum anti-
ce latisimum, alii eundem minus magis-
que rotundatum, in medio latisimum; alii
thorace elongato sunt notabiles, atque alii
denique subquadrato, sive a basi ad apicem
fere undique æquali, & elytrorum latitudi-
ne. Secundam igitur Familiam, prima tri-
plo majorem, in quatuor subdivisiones dis-
tribui, nimirum in **ALATOS** *thorace obcor-
dato*; *thorace semirotundato*; *thorace elonga-
to*; & *thorace subquadrato*.

Posset itidem in Carabi Ovati grati-
am adhuc una adponi dispartitio, videlicet
ALATI *thorace postice latiori*; alias vero
huiusmodi species ignorans, donec plures
similes detegantur, ad quartam Sectionem
hunc Carabum retuli.

*Dab. in Prædio Hesselby, prope
Upsaliam die 4 Julii 1790.*

A 4

CA



CARABUS.

ANTENNÆ filiformes.

PALPI sex inæquales: articulo ultimo obtuso truncato,

LABIUM integrum.

TARSI quinquearticulati.



FAMILIA PRIMA:

APTERI.

SECTIO PRIMA;

Thorace postice emarginato.

N:o 1.

CARABUS CORIACEUS.

Niger elytris opacis: punctis intricatis subrugosis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, erosum; Maxillæ longiores, denticulatæ; Antennæ apice fuscescentes.

THORAX niger, opacus, lineola longitudinali punctisque lævioribus, obcordatus, antice truncatus, postice emarginatus.

ELYTRA nigra, opaca, convexa, thorace multo latiora: punctis intricatis subrugosis.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, convexum, nitidum.

PEDES longiores, nigri, nitidi; *Femora* anteriora subclavata; *Tibiæ* omnes apice bispinosæ.

LOCUS: hab. in putridis & sub lapidibus Scaniæ rarius.

OBSERV. Magnitudine omnes Sveciæ Carabos superat.

SYNON. FABRICII MANT. *Ins.* t. 1. p. 195. N:o 3.
Car. Coriaceus.

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 668. N:o 1. *Car. Coriaceus.*

DE GEER *Ins.* t. 4. p. 90. N:o 4. *Car. Coriaceus.*

SCHÆFF. *Icon. Ins.* t. XXXVI, f. I, mas. t. CXLI f. I, fem.

N:o II.

CARABUS CYANEUS.

Niger, capite thoraceque violaceis, elytris violaceis: punctis intricatis subrugosis.

DESCRIPTIO:

CAPUT erosum, postice violaceum, ante-

stice nigrum: *Maxillæ Palpique nigri; Oculi albicantes; Antennæ fuscantes.*

THORAX violaceus, nitidus, subtilis magis niger, obcordatus, marginatus, planus, canaliculatus, subrugosus, longitudine latitudinis.

ELYTRA postice latiora, violacea, nitida: punctis elevatis, elongatis, intricatis, plurimis rugosis nigris.

STERNUM nigrum, nitidum.

AEDOMEN nigrum, nitidum.

P E D E S longiores, nigri, nitidi.

LOCUS: Hab. in Svecia australi rarissime, in Germania magis frequens.

OBSERV. Differt a *Carabo Coriaceo*, colore, magnitudine & thorace magis plano, canaliculato; a *Carabo Purpurascente* & *Violaceo* differt thorace longiore & elytris rugosis, totis, non vero solo margine, violaceis.

SYNON. FABR. *Mant.* p. 195. N:o 7. *Car. Cyanus.*

LINN. *Faun. Sv.* N:o 780. *Car. Intricatus.*

=====
N:o III.

CARABUS VIOOLACEUS.

Niger, thoracis elytrorumque marginibus violaceis, elytris subpunktatis lœvibus.

DESCRIPTIO.

C A P U T nigrum; *Antennæ* basi nigræ, apice fuscescentes.

T H O R A X niger, margine violaceo, nitido, obcordatus, longitudine latior, subtilissime punctatus, marginatus, lineola longitudinali, antice truncatus, postice emarginatus.

E L Y T R A convexa, nigra, subtilissime, confertissime fine ordine punctata, (minime striata;) margine violaceo purpurascente nitido; subtus griseo-flavescentia punctis confertissimis.

S T E R N U M nigrum, nitidum.

A B D O M E N nigrum, nitidum.

P E D E S longiores, nigri.

L O C U S: hab. in putridis & sub lapidibus.

O B S E R V. Minime alatus, ut Ill. a LINNÉ, & post illum Cel. Dom. FABRICIUS haud conve-

venienter descripsérunt. *Synonymon DE GEERIANUM*, a FABRICIO ad hanc speciem relatum minime ad illum sed ad Car. Hortensem pertinet. Unicum individuum; e Gallia mihi missum elytris regulariter, non vero ut in sequenti rugose, punciato-striatis notatur, cetero huic simillimum est, an varietas? an Species distincta, vel hybrida e copula forte Car. Violacei & Purpurascens orta.

SYNON. FABR. Mant. Ins. p. 195. N:o 5. Car. *Violaceus*.

LINN. Syst. Nat. II. p. 669. N:o 8. Faun. Sv. N:o 787. Car. *Violaceus*.

SCHÆFF. Icon. t. III. f. 1.

N:o IV.

CARABUS PURPURASCENS.

Niger thoracis elytrorumque marginibus violaceis, elytris rugose punctato-striatis.

DESCRIPTIO.

C A P U T nigrum; *Antennæ* apice fuscescentes.

THORAX niger, margine acute elevato, violaceo, obcordatus, subpunctatus, longitudine latior, lineola longi-

gitudinali; dorso convexo postice retuso.

E LYTRA nigra, convexa, sedecimstriata, rugose punctata, margine violaceo purpurascente.

S TERNUM nigrum, nitidum.

A BDOMEN nigrum, nitidum.

P E D E S nigri, nitidi.

Locus: Habitat cum præcedenti frequentior.

OBSERV. Magnitudine & habitu præcedentis, sed differt elytris rugose punctato-striatis, thoraceque postice angustiore. Fæmina mari simillima, ideoque haud varietas sexus Car. Violacei.

S YNON. FABR. Mant. Ins. p. 195. N:o 6. Car. Purpurascens.

SCHAEFF. Icon. Ins. LXXXVIII. f. 1.

N:o v.

CARABUS GLABRATUS.

Niger lœvis, thorace latiore, elytris subtilissime punctatis.

DESCRIPTIO.

C A P U T nigrum; **O c u l i** Antennæque apice fulcescentes.

THO-

THORAX niger, obcordatus, elytris vix angustior, convexus, marginatus, subtilissime punctatus; angulis posterioribus obtusis, minus quam in *Carabo Purpurascente*, prominentibus.

ELYTRA nigra, immaculata, convexa, laevissima, subtilissime, confertissime punctata, margine concolore.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri.

MAGNIT. Carabi Violacei, vel paulo major.

LOCUS: Habitat in Finlandiae & Dalecarliæ locis montosis.

OBSERV. Differt a *Car. Violaceo*, thorace latiore, margine thoracis elytrorumque unicolo.

N:o vi.

CARABUS GEMMATUS.

Niger elytris striatis: punctis æneis bilobis excavatis triplice serie, margine subviolaceo.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, subrugosum; **Antennæ** apice fulcescentes. **Tho-**

THORAX niger, margine subvirescente, obcordatus, parum convexus, linea longitudinali, subtilissime punctatus, marginatus: angulis posticis obtusis, prominentibus.

ELYTRA nigra, convexa, striata, punctis æneis bilobis, triplice serie excavatis, margine subviolaceo.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

P E D E S nigri, nitidi.

MAGNIT. & Statura Carabi Violacei.

LOCUS: Habitat in putridis minus frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 196. N:o 15. *Car. Gemmatus.*

DE GEER. *Inf. t. 4.* p. 90. N:o 5. *Car. Striatus.* t. 3. f. 1.

N:o vii.

CARABUS HORTENSIS.

Niger, thorace latiore, elytris subrugosis, margine punctisque triplice serie excavatis æneis,

DESCRIPTIO.

C A P U T nigrum, *Oculi pupillati;* *Antennæ apice fuscescentes.* **T H O-**

THORAX niger, convexus, lineola longitudinali, obcordatus, latitudine fere baseos elytrorum, margine parum prominulo æneo-purpurascente.

ELYTRA nigra, convexa margine subæneo, minime striata: rugis vix nudis oculis conspicuis, punctis æneis triplici serie excavatis.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri, nitidi.

MAGNIT. Latitudine Carabi Violacei sed brevior, & statura Carabi Glabrati.

Locus: Habitat in putridis & sub lapidibus.

OBSERV. Differt a Carabo Gemmato, cui affinis, latitudine thoracis, & elytris haud striatis.

SYNON. FABR. Mant. Inf. p. 196. N:o 16. Car. Hortensis.

LINN. Syst. Nat. II. p. 668. N:o 3. Faun. Sv. N:o 783. Car. Hortensis.

DE GEER Inf. t. 4. p. 89. N: 3. Car. Violaceus.

SCHÆFF. Icon. Inf. t. XI. f. II. sed colore nimis purpurascente picta.

N:o VIII.

CARABUS CLATHRATUS.

Niger, capite thoraceque subæneis, elytris æneo-virescentibus quadrisulcatis: punctis cupreis excavatis, interjectis longitudinalibus.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum *nucha* subænea; Oculi pupillati; Antennæ apice cinerascentes.

THORAX subæneus, convexus, marginatus, obcordatus, lineola longitudinali, vix postice emarginatus, in angulis vero posterioribus dorso profunde retusus.

ELYTRA æneo - subvirescentia, convexa: fulcis tribus latis longitudinalibus, in quibus puncta oblonga elevata concolora, & inter illos puncta magna excavata cuprea; In ipso margine exteriore sulculus minor punctaque minora, excavata.

STERNUM nigrum, nitidum.

PEDES nigri, nitidi.

MAGNIT. Carabum Violaceum æquiparat.

Lo.

Locus: Habitat in putridis, & sub lapidibus,
in pratis humidis tempore ver-
nali sat frequens.

OBSERV. Simillimus var. α , sed totus fere niger.

SYNON. FABR. Mant. Ins. p. 197. N:o 26. *Carabus Clathratus.*

LINN. Syst. Nat. II. p. 669. N:o 5. Faun. Sv.
N:o 782. *Carabus Clathratus.*

DE GEER Ins. f. 4. p. 87. N:o. 1. *Carabus Eneopunctatus.* t. 3. f. 12.

VAR. β .

*Niger elytris quadrisulcatis: punctis obscure
æneis, interjectis longitudinalibus.*

Locus: Habitat cum præcedenti rarius.

N:o IX.

CARABUS GRANULATUS.

*Niger supra æneus, elytris tuberculis
elevatis triplice ordine sulcisque
elevatis.*

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* ænea.

THORAX supra æneus, subtus obscure æ-
B 2 neo-

neo-niger, obcordatus, subtilissime
punctatus, lineola longitudinali.

ELYTRA ænea, thorace latiora: fulcis tri-
bus elevatis, interjectis tubercu-
lis elongatis triplice serie; margi-
ne exteriore dilatato, punctato.

ALARUM rudimenta paulo quam in reliquis
hujus familiæ majora, sed tamen
volando minime idonea.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri.

LOCUS: Hab. in putridis.

OBSERV. Magnitudine *C. clathrati*, saepius minor
variat basi antennarum femoribusque fer-
rugineis.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 197. N:o 25. Car. *Granu-*
latus.

LINN: *Syst. Nat.* II. p. 668. N:o 2. var. γ.
Faun. Sv. N:o 781. var. γ. Car. *Granulatus*.

DE GEER *Inf.* t. 4. p. 88. N:o 2. Car. *Con-*
vexa punctatus.

SCHÆFF. *Icon.* t. XVIII. f. 6. t. CLVI. f. 4.
male picta.

V A R. β.

*Niger elytris subvirescentibus: tuberculis
elongatis triplici ordine sulcisque
elevatis.*

Lo-

Locus: Hab. cum præcedenti cui simillimus,
an var. *sexus*?

SYNON. LINN. *Syst. Nat.* p. 668. N:o 2. var. *B.* *Faun.*
Sv. N:o 781. var. *B.* *Car.* *Granulatus.*

V A R. *y.*

*Niger elytris tuberculis elongatis elevatis
triplici ordine sulcisque elevatis.*

Locus: Hab. cum præcedentibus, quibus si-
millimus, rarer.

SYNON. LINN. *Syst. Nat.* II. p. 668. N:o 2. var. *α.* *Faun.*
Sv. N:o 781. var. *α.* *Car.* *Granulatus.*

N:o x.

CARABUS ARVENSIS.

*Niger supra æneus, elytris striato-pun-
ctatis: tuberculis elevatis elongatis
triplice serie.*

DESCRIPTIO.

CAPUT supra æneum, subtus nigrum; *An-*
tennæ, Palpi Maxillæque nigrae.

THORAX supra æneus, subtus obscure æ-
neo-niger, obcordatus, submargi-
natus lineola longitudinali.

ELYTRA ænea, punctato-striata: tuberculis
utrinque oblongis elevatis tripli-
ci ordine.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri.

MAGNIT. minor præcedenti, seu magnitudine Car. Convexi.

Locus: Hab. in Svecia australi rarius.

STNON. FABR. Maut. Inf. p. 196. N:o 18. Car. Ar. vensis.

VAR. β.

*Niger, supra subviolaceus elytris punctato
striatis; tuberculis elevatis triplici
ordine.*

Locus: Hab. cum var. & cui simillimus an
var. sexus?

OBSERV. Differt a Carabo Granulato, quod mi-
nor & elytra punctato-striata, non ve-
ro sulci elevati. Puncta elytrorum eleva-
ta, non excavata, ut in Mantissa Inse-
ctorum Dom. Fabricii forsan perperam
impressum est.

N:o XI.
CARABUS AURATUS.

*Elytris viridi - æneis nitidis obtuse
fulcatis impunctatis, abdomine ni-
gro; antennis pedibusque rufis.*

DESCRIPTIO.

CAPUT viridi-æneum, subitus obscurius;
*Maxillæ nigræ; Palpi rufi ultimo
articulo brunneo; Antennæ rufæ
apice obscuriores.*

THORAX obcordatus, viridi-æneus parum
marginatus, lineola longitudinali.

ELYTRA viridi-ænea, convexa, obtuse ful-
cata, impunctata.

STERNUM nigrum, antice subvirescens.

ABDOMEN nigrum.

PEDES rufo-brunnei, interdum nigri-
cantes.

MAGNIT. Car. Violaceum æquiparat.

LOCUS: Hab. in humidis & sub lapidibus apud
nos rarissime, in Gallia frequens.

SYNON. FABR. MANT. *Ins. p. 197. N:o 23. Car.
Auratus.*

LINN. *Syst. II. p. 669. N:o 7. Faun.
Sv. N:o 786. Car. Auratus.*

DE GEER *Ins. t. 4. p. 104. N:o 1. Car. sul-
catus, t. 17. f. 20.*

N:o XII.

CARABUS NITENS.

Elytris viridi-aeneis scabriusculis: sulcis quatuor elevatis nigris; margine, thorace capiteque aureis.

DESCRIPTIO.

CAPUT subtus nigro-aeneum *nucha aurea*; *Maxillæ Palpique nigri*; *Oculi pupillati*; *Antennæ nigræ extrorsum vix fuscescentes*.

THORAX supra aureus, convexus, marginatus; semirotundatus, lineola longitudinali, subtus obscure nigro-aeneus.

ELYTRA convexa, viridi-aenea nitida, scabriuscula, fulcis quatuor elevatis nigris; tribus exterioribus postice interruptis; margo exterior elevatus, dilatatus, aureo-nitidus.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri, nitidi.

LOCUS: Habitat sub lapidibus rarius.

OBSERV. Differt a *Carabo Aurato* magnitudine dimidio minori, colore, elytris scabriuscu-

usculis, & thorace semirotundato. Var.
& ill. a LINNÉ sulcis elevatis coeruleis,
corpo viridi, pedibus antennisque
ferrugineis mibi nunquam visa est.

SYNON. FABR. Mant. Inf. p. 197. N:o 30. Car. Nitens.
 LINN. Syst. Nat. II. p. 652. N:o 6. Faun. Sv.
 N:o 785. var. B. Car. Nitens.
 DE GEER. Inf. t. 4. p. 91. N:o 6. Car. Aureus.

N:o XIII.

CARABUS CONVEXUS.

Niger thorace semirotundato, elytris
convexus subtilissime punctato-stria-
tis, margine exteriore subviolaceo.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum; *Oculi albicantes.*

THORAX totus niger, *margine concolore,*
convexus, subtilissime punctatus,
semirotundatus.

ELYTRA nigra, *convexa, subtilissime pun-*
ctato-striata: summo margine ex-
teriore subviolaceo nitido.

STERNUM nigrum,

ABDOMEN nigrum,

PEDES nigri.

MAGNI-

MAGNIT. præcedentis, vel Car. Violaceo
dimidio minor.

Locus: Hab. in Svecia australi rarius.

OBSERV. Differt a Car. Violaceo & Purpurascen-
te magnitudine duplo minori thoraceque
unicolore, semirotundato non obcordato.
A. Car. GLABRATO differt magnitu-
dine, thorace rotundiore elytrisque pun-
ctato-striatis, subviolaceo-marginatis.

SYNON. FABR. Mant. Ins. p. 197. N:o 22. Car. Con-
vexus.

SCHÆFF. Icon. Ins. t. 3. f. II.

SECTIO SECUNDA *Thorace postice truncato.*

N:o XIV.

CARABUS ROSTRATUS.

*Niger, elytris deflexis punctatis, tho-
race ovali angustiore, capite an-
gustissimo.*

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, elongatum, thorace di-
mi-

midio angustius; *Maxillæ longiores*, prominentes.

THORAX subovatus, marginatus, convexus, truncatus, subtilissime punctatus, elytrorum vix dimidia latitudine, postice dorso subretusus.

ELYTRA nigra, subtilissime punctata, deflexa, convexa, magnam partem abdominis subtus amplectentia.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES nigri.

MAGNIT. Carabum convexum æquiparat.

LOCUS: Habitat in quisquiliis infrequens.

SYNON. FABR. *Mant. Ins.* p. 198. N:o 36. *Car. Rostratus*.

LI NN. *Syst. Nat.* II. p. 677. N:o 20. *Faun. Sv.* N:o 823. *Tenebrio Rostratus*.

DE GEER *Ins.* t. 4. p. 92. N:o 7. *Car. Coadunatus*. t. 3. f. 13.

N:o xv.

CARABUS MADIDUS.

*Supra niger, subtus obscure rufus,
nitidus, abdomine breviore, elytris
decemstriatis disco impunctatis,
thorace utrinque unipunctato.*

DESCRIPTIO.

CAPUT magnum rufum *nucha nigra*; *Ma-*
xillæ breviores, nigræ; Antennæ
nigræ, apice fuscescentes.

THORAX subtus rufus, supra niger nitidus, marginatus, semirotundatus, lineola longitudinali, antice latitudine fere elytrorum, angulis acutis, postice paulo angustior: puncto utrinque in angulo, excavato.

ELYTRA connata, nigra, nitida, capite thoraceque haud longiora, maxime convexa, leviter decemstriata, disco impunctato.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN breve, rufum, nitidum.

PEDES breviores, rufi.

MAGNIT. longitudine sed non latitudine præcedentis.

Lo-

Locus: Habitat apud nos rarior. Dom. STRUVE; nihi vivus nunquam occurrit.

OBSERV. Differt a sequenti, colore, elytris leviter striatis disco impunctatis, corpore magis convexo, abdomine breviore thoraceque utrinque unipunctato.

SYNON. FABR. Mant. Ins. p. 199. N:o 54. Car. *Madidus*.

N:o XVI.

CARABUS LEVCÓPHTHALMUS.

Niger, elytris decemstriatis disco quadripunctatis, thorace semirotundato postice utrinque bistriato.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum; *Antennæ* apice fuscescentes.

THORAX niger, nitidus, convexus, marginatus, semirotundatus, antice latitudine fere elytrorum, postice angustior, utroque angulo bistriato.

ELYTRA nigra, thorace opaciora, capite thoraceque longiora, subconvexa, decemstriata striis profundiori-

ribus; in stria secunda a sutura utrinque puncta bina minutissima, excavata, vix nudis oculis conspicua, quorum alterum fere in medio, alterum apicis propius.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN dimidio corpore longius, nigrum, nitidum.

PEDES nigri.

MAGNIT. latitudine praecedentis sed paulo longior.

LOCUS: Habitat in putridis, & sub lapidibus frequens.

OBSERV. *Carabus a DE GEER. t. 4. p. 96. N:o 12, & a FABRICIO in Speciebus p. 304. N:o 29, & Mantissa Insectorum p. 198. N:o 41, sub nomine Leucophthalmi descriptus Car. Strintum vel Nigritam sistere videtur, quia alatus. Mire hi omnes Carabi nigri ob negligentiam auctorum confusi sunt, licet certe specie differant & optimas differentias specificas praebant, ut suis locis dicemus. Nescio etiam qua ratione auctores octo tantum strias hujus speciei numerant, & strias binas ultimas in margine exteriore omitunt leviores quidem, nudis tamen oculis bene perspicuas.*

SYN.

SYNON. FABR. *Syst. Ent.* p. 240. N:o 23. CAR. *Leucophthalmus*.

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 668. N:o 4. FAUN.

Sv. N: 784. CAR. *Leucophthalmus*.

GEOFF. *Ins. t.* I. p. 146. N:o 7.

N:o XVII.

CARABUS TERRICOLA.

Niger abdomine longiore, elytris subviolaceis striatis disco impunctatis, thorace obcordato utrinque postice unipunctato.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum. nitidum; *Palpi Antennæque* fuscescentes.

THORAX niger, nitidus, obcordatus: linea longitudinali punctoque utrinque postice excavato.

ELYTRA subviolacea, striata, disco impunctata, margine exteriore punctata, capite thoraceque multo longiora.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES: Femora & Tibiae nigra; Tarsi fuscantes.

MAGNIT. præcedentis.

Locus: Habitat in Svecia australi rarius.

OBSERV. Differt a Car. Leucophtalmo elytris subviolaceis disco impunctatis, & thorace magis cordato; a Car. Madido, colore elytrorum, thorace obcordato & ab domine longiore. Unicum vidi elytris livido-subviolaceis; an nuper e nymphâ fuit declaratus?

SYNON. Herbst. Car. Terricola.

N:o XVIII.

CARABUS LEPIDUS.

Viridi-æneus, nitens, thorace semiro-
tundato postice utrinque bistriato,
elytris striatis utrinque disco
tripunctatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT viridi-æneum, subtus obscurius;
Maxillæ, Palpi Oculique nigri; An-
tennæ nigræ, basi setis quibusdam
longioribus.

Tho-

THORAX viridi-æneus, convexus, semiro-tundatus, submarginatus, antice latitudine fere elytrorum, postice paulo angustior: in angulo utrinque profunde bistrigatus, linea longitudinali leviore.

ELYTRA viridi-ænea, leviter striata: in stria tertia a margine interiore puncta tria excavata minutissima, quorum primum ad basin, secundum in medio, tertium ad apicem, non vero in ipso apice, spatio æquali distantia.

STERNUM obscure viridi-æneum.

ABDOMEN obscure viridi-æneum.

PEDES: *Femora* obscure viridi-ænea; *Tibiæ* nigræ rarius rufescentes; *Tarsi* nigri.

MAGNIT. Car. Leucophthalmo minor est, sed habitus & statura eadem.

LOCUS: Habitat sub lapidibus in locis siccis.

OBSERV. Colorem jam magis jam minus cuprum induit. Differt a *Carabo Cupreo*, cui similis, quod ille alatus, brevior, & in disco postico elytrorum utrinque quadrupunctatus.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 200. N:o. 67. *Car. Lepidus.*

N:o XIX.

CARABUS DEPRESSUS.

Niger depresso thorace semirotundato punctulato, nullis punctis majoribus posticis, elytris subtilissime punctatis striatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT magnum, nigrum, glabrum; *Oculi pupillati; Maxillæ breviores.*

THORAX niger, semirotundatus, in medio latitudine fere elytrorum, antice posticeque paulo angustior, marginatus, vix convexus, subtilissime confertissimeque punctatus, absque ullis punctis majoribus excavatis in angulis posterioribus.

ELYTRA nigra, subdepressa, subtilissime novemstriata: inter strias omnes puncta minutissima, confertissima, & intra striam primam & secundam margine exteriore puncta quædam paulo majora.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri, nitidi.

MAGNIT. paulo minor præcedenti.

Lo-

LOCUS: Habitat apud nos rarissime.

OBSERV. Ab omnibus Carabis nigris hujus familiæ optime distinguitur corpore subdepresso & thorace semirotundato sine ultiis punctis majoribus excavatis in angulis posterioribus.

N:o xx.

CARABUS MELANOCEPHALUS.

Niger, thorace flavo-rubo subquadra-
to, elytris arcte juncto; pedibus
flavo-rufis.

DESCRIPTIO.

CAPUT subtus rufum, supra nigrum, nitidum; *Antennæ Palpique* flavo-rufi, rarius fuscescentes; *Maxillæ Oculique* nigri.

THORAX lævis, rufo-flavus, subquadratus, vix rotundatus, latitudine elytro-rum iisdemque arcte junctus, lineola longitudinali, punctoque utrinque postice impresso.

ELYTRA nigra, substriata; in stria secunda vel tertia a margine interiore puncta quædam minutissima, (ut in *Car. Leucophthalmo* & *C. Le-*

pido,) margo exterior punctulatus,
& basi, ubi abdomen amplectitur,
rufo-flavus.

STERNUM rufum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES longiores, rufo-flavi.

MAGNIT. dimidio minor est præcedenti.

LOCUS: Habitat in putridis & sub lapidibus
frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Ins.* p. 202. N:o 89. *Carabus Melanocephalus*.

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 671. N:o 22. *Faun. Sv.* N:o 795. *Car. Melanocephalus*.

DE GEER *Ins.* t. 4. p. 93. N:o 8. *Car. Melanocephalus*, var. β.

V A R. β.

*Niger, antennis, palpis pedibusque fla-
vo-rufis.*

LOCUS: Hab. cum var. α frequens.

OBSERV. *Statura, magnitudine & habitu omni-*
no var. α, quamvis thorax sternumque
nigra & latera elytrorum basi obscuriora.

SYNON. DE GEER *Ins.* t. 4. p. 93. N:o 3. *Car. Melanocephalus* var. α.

N:o XXI.

CARABUS FLAVIPES.

*Niger, subtus piceus, pedibus rufis,
thorace subquadrato elytris arcte
juncto, elytris novemstriatis: striis
quatuor punctatis.*

DESCRIPTIO.

CAPUT supra nigrum nitidum, subtus piceum; Antennæ fuscescentes, basi rufæ, dimidio corpore paulo longiores.

THORAX niger, subquadratus, vix rotundatus, elytrorum latitudine iisdemque arcte junctus.

ELYTRA nigra, convexa, novemstriata: in stria secunda, tertia, quinta & octava, puncta minutissima excavata, reliquæ impunctatæ.

STERNUM obscure piceum.

ABDOMEN obscure piceum.

PEDES flavo-rufi.

Locus: Habitat sub foliis siccis rarius.

OBSERV. Differt a Car. Melanocephalo, cui habitat & statura similis, magnitudine duplo majori & elytris quatuor striis pun-

Etatis. Unicum individuum tamen vidi elytris levioribus vix punctatis at cetero huic simillimum; an distinctam constituit speciem?

Synon. GEOFFROY *Ins. t. 1. p. 161. N:o 39. Le Bu-*
preste noir à pattes brunes.

N:o XXII.

CARABUS EXCAVATUS.

Supra piceo-niger, subtus rufus, tho-
race cordato postice profunde bi-
punctato.

DESCRIPTIO.

CAPUT supra piceo-nigrum, subtus ru-
fum; *Oculi* prominuli; *Antennæ*
Palpique rufo-fuscescentes.

THORAX supra piceo-niger, subtus obscure
rufus, glaber convexus, cordatus,
marginatus, antice posticeque trun-
catus, lineola longitudinali pun-
ctoque magno utrinque angulo
postico profunde excavato.

ELYTRA piceo-nigra, integra, thorace la-
tiora, subtilissime punctato-stria-
ta; punctis utrinque tribus pau-
lo majoribus, licet vix nudis o-
culis conspicuis in stria tertia a
mar-

margine interiore, quorum alterum baseos, alterum in medio,
& tertium magis ad apicem.

STERNUM rufum.

ABDOMEN rufum.

PEDES rufi.

MAGNIT. paulo longior sed vix latitudine
Carabi Melanocephali.

Locus: Habitat apud nos minus frequens.

VAR. β .

Totus testaceus capite thoraceque paulo ob-
scurioribus.

OBSERV. Simillimus magnitudine & statura va-
rietiati præcedenti. Non nisi unicum vi-
di, qui nuper e nympba declaratus co-
lorem in statu adultiore forte mutaturus
esset. Species hæc optime dignoscitur tho-
race cordato profunde bipunctato.

N:o xxiii.

CARABUS HUMERALIS.

*Niger thorace obcordato, elytris striato-punctatis truncatis antice rufis,
pedibus rufo-flavis.*

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, latitudine thoracis, subtilissime punctatum; *Antennæ Palpique rufi: Oculi prominuli, nigri.*

THORAX niger, cordatus, acute marginatus, antice posticeque truncatus maxime convexus, subtilissime punctatus sine ulla punctis majoribus in angulo posteriore excavatis.

ELYTRA nigra, antice ad quartam circiter partem totius longitudinis obscure rufa, thorace latiora, subtilissime punctato-striata, apice truncata, abdominis vix longitudo, ut in Carabo truncatello.

STERNUM piceum, vel obscure-rufum.

ABDOMEN piceum, nitidum.

PEDES rufo-flavi.

MAGNIT. præcedentem vix attinet.

Lo.

Locus: Habitat in lignis putridis minus frequens.

V A R. B.

Niger thorace obcordato rufo, elytris macula baseos rufo-flava in margine exteriore, ore, antennis pedibusque rufo-flavis.

Locus: Habitat cum var. α , cui magnitudine, habitu & statura simillimus.

N:o XXIV.

CARABUS ROTUNDATUS.

Rufo-fuscus, subtus dilutior, pedibus flavis, thorace postice rotundato inangulato, elytris striatis disco utrinque tripunctatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT subtus rufum, *nucha* rufo-subænea; *Antennæ* rufæ.

THORAX rufo-fuscus, lœvissimus, convexus, marginatus, antice truncatus

tus, postice rotundatus, inangu-
latus, vix punctis ordinariis po-
sticis impressis.

ELYTRA. rufo-fusca, nitida, striata: in stria
tertia a margine interiore utrin-
que puncta tria excavata, minu-
tissima, vix nudis oculis con-
spicua.

STERNUM rufum, nitidum.

ABDOMEN rufum, nitidum

PEDES flavi, nitidi.

MAGNIT. Carabum viridanum æquiparat.

LOCUS: Habitat apud nos minus frequens.

OBSERV. Differt a præcedentibus colore, magni-
tudine minori, & thorace postice rotun-
dato, minime cordato, truncato.

V A R. β.

Niger elytris piceis.

LOCUS: Hab. in Uplandia rarius; semel ini-
tio mensis maji plures sub cor-
tice salicis emortuæ reperi.

OBSERV. Simillimus magnitudine, habitu & sta-
tura, varietati præcedenti, nisi quod
puncta discoidalia elytrorum paulo obso-
letiora sint.

F A-

FAMILIA SECUNDA

ALATI.

SECTIO PRIMA

Thorace obcordato.

N:o xxv.

CARABUS SPINIGER.

*Lævis niger, subtus piceus, elytris
obsolete novemstriatis, pedibus po-
sticis basi appendiculo spinoso.*

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, elongatum, inter oculos bifulcatum; Maxillæ longiores, Palpi picei; Antennæ apice fuscescentes; Oculi pupillati.

THORAX niger, convexus, marginatus, impunctatus, lineola longitudinali leviori, dorso postice in angulis subretuso, non vero striato.

ELYTRA thorace latiora, nigra, convexa, læviora: striis novem fere obsoletis; in stria secunda a margine ex-

exteriore puncta paullo majora excavata, in reliquis vero minutissima nudis oculis inconspicua.

A L A amplissimæ, albo-hyalinæ nervis ferrugineis.

S T E R N U M piceum.

A B D O M E N glabrum, convexum, piceum.

P E D E S picei; *Femora* postica basi appendiculo spinoso longitudine fere dimidii femoris.

M A G N I T. Longitudine Carabi Violacei sed angustior.

L O C U S: Habitat sub lapidibus minus frequens.

O B S E R V. Differt ab omnibus *Carabis nigris* bujus familiæ appendiculo spinoso in femoribus posterioribus, cum reliquæ species appendiculo truncato gaudent.

N:o XXVI.

CARABUS STRIATUS.

Niger thorace postice foveola utrinque biloba, elytris striis novem profundioribus: punctis tribus discoidalibus.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum; *Maxillæ Palpique* picei; *Antennæ* apice fuscescentes; *Oculi* pupillati.

THORAX niger, nitidus, marginatus, parum convexus, lineola longitudinali profundiori foveolaque biloba utrinque in angulo posteriore excavata.

ELYTRA nigra, convexa, marginata, novemstriata: punctis tribus minutissimis in stria tertia a margine interiore, quorum primum ad basin, secundum in medio, & tertium apici proprius est.

ALÆ albo-hyalinæ nervis flavescentibus.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri.

MAGNI-

MAGNIT. præcedenti paulo minor.

Locus: Habitat in putridis & sub lapidibus frequens.

OBSERV. Magnitudo hujus speciei non variat, licet DE GEER loco citato, & FABRICIUS in Spec. Ins. pag. 305 ita meminerint: etenim banc speciem cum Carabò Leucophtalmò & Nigrita sine dubio confuderunt, qui tamen sane diversi: differt enim a C. Leucophtalmo magnitudine majori, alis, thorace cordato & elytris utrinque disco tripunctato; a Car. Nigrita magnitudine duplo majore & thorace cordato.

SYNON. FABR. Mant. Ins. p. 198. N:o 41. Car. Leucophthalmus.

DE GEER Ins. t. 4. p. 96. N:o 12. Car. Nigro-striatus.

N:o xxvii.

CARABUS FLAVICORNIS.

*Niger elytris substriatis impunctatis,
margine thoracis, antennis pedi-
busque rufo-pallidis.*

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, convexum, punctis duobus frontalibus ferrugineis: *M*a-
*xillæ ferrugineæ; Palpi Antennæ-
que pallidiores, pilis quibusdam
longioribus; Oculi albicantes.*

THORAX niger, convexus, summo margi-
ne rufescente elevato.

ELYTRA nigra, substriata, impunctata, in
altero Sexu antice ad futuram
rufescientia.

ALÆ albo-hyalinæ nervis flavescenti-
bus.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum, ano rufescente.

PEDES pallide rufi.

MAGNIT. Carabum Leucophthalmum æ-
quiparat.

Locus: Habitat in Svecia australi rarius.

OBS-

OBSERV. Carabo spinigero affinis sed duplo fere minor, nec femora postica spinigera.

SYNON. FABR. MANT. *Ins.* p. 199. N:o 50. *Car. Flavicornis.*

N:o XXVIII.

CARABUS SABULOSUS.

*Niger, thorace, limbo elytrorum
pedibusque pallidis.*

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum; *Maxillæ ferrugineæ; Antennæ Palpique pallide flavi; Oculi prominuli.*

THORAX pallidus, brevis, convexus, impunctatus, marginatus, subtus, cum margine summo antico & postico, niger.

ELYTRA anteriori parte thoracis non multo latiora, subtilissime striato-punctata, punctis quibusdam discoidalibus paulo profundioribus, subconvexa, margine exteriore & posteriore pallide flavo, in altero sexu limbo latiore.

ALÆ.

STER-

STERNUM obscure ferrugineum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES pallide flavi; *Femora* basi ferruginea.

MAGNIT. paulo minor præcedenti.

Locus: Habitat apud nos rarius.

SYNON. FABR. *Mant. Ins.* p. 199. N:o 47. *Carabus Sabulosus.*

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 670. N:o 15. *Faun. Sv.*
N:o 791. *Car. Lividus.*

N:o XXIX.

CARABUS MULTIPUNCTATUS.

Obscure subæneus, elytris punctis vagis plurimis impressis.

DESCRIPTIO.

CAPUT obscure subæneum; *Maxillæ*, *Antennæ* *Palpique* nigri; *Oculi* pupillati.

THORAX obscure subæneus margine nitidore, lineola longitudinali anguloque utrinque posteriore dorso excavato.

ELYTRA obscure ænea, convexa: punctis plurimis majoribus disco impressis, margine æneo nitido.

ALÆ amplæ, albo-hyalinæ, corpore longiores, summo margine anteriore exteriore rufescente.

STERNUM obscure subæneum.

ABDOMEN obscure subæneum.

PEDES: *Femora* obscure subænea; *Tibie* & *Tarsi* magis nigricantes.

Locus: Habitat in pratis humidis sub lapidibus, tempore vernali frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Ins.* p. 201. N:o 32. *Carab. Multipunctatus.*

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 672. N:o 32. *Faun. Sv.* N:o 805. *Carab. Multipunctatus.*

N:o xxx.

CARABUS BOREALIS.

*Niger thorace obscure æneo, elytris
obscure æneis: punctis discoidalibus
duplice serie impressis; summo
margine pedibusque rufis.*

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* obscure subænea;
Oculi minores; *Maxillæ Palpique*
nigri; *Antennæ* apice fuscescen-
tes.

THORAX obscure subæneus, marginatus,
lineola levissima longitudinali pun-
ctoque profunde excavato utrin-
que in angulo posteriore.

ELYTRA thorace latiora, obscure subæ-
nea, substriata: punctis plurimis
majoribus discoidalibus duplice
serie, exteriori abbreviata, im-
pressis, margine nitidore; summo
margine abdomen amplectente,
rufo.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES rufi *geniculis nigris.*

MAGNIT. vix præcedentis.

Locus: Sub lapide ad templum Karungi Botniæ occidentalis semel inveni mense Julii.

OBSERV. *Habitu & statura præcedentis, sed differt colore & elytris regulariter punctatis.*

N:o XXXI.

CARABUS NIVALIS.

Niger, femoribus rufis, thorace impunctato, elytris punctato-striatis: punctis quibusdam discoidalibus majoribus; marginalibus nullis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum; *Oculi, Antennæ, Maxillæ Palpique* concolores.

THORAX niger, brevis, vix longitudine capitis, convexus, acute marginatus, postice impunctatus.

ELYTRA nigra, thorace latiora, capite thoraceque duplo longiora, striata, subtilissime in striis punctata: punctis

Etis tribus vel quatuor paulo majoribus in stria tertia a margine interiore, margine exteriore impunctato.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES: *Femora rufa; Tibiae Tarsique nigri.*

MAGNIT. Car. Sabulofo fere duplo minor.

LOCUS: Habitat in summis alpibus Lapponiae Lulensis, in ipsa nive cursitans.

N:o XXXII.

CARABUS ASSIMILIS.

Niger, thorace capite longiore postice impunctato, elytris striatis, margine punctato.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum.

THORAX niger, capite longior, antice, non vero postice latior, convexus, acute marginatus, angulis posterioris impunctatis.

D 3

ELY-

ELYTRA nigra, capite thoraceque longiora, striata, margine exteriore punctulato: punctis utrinque tribus minutissimis in stria tertia a margine interiore.

ALÆ albo-hyalinæ.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES nigri, vel obscure picei.

MAGNIT. præcedentis.

Locus: Hab. in Scania. Dom. QVENSEL.

OBSERV. *Habitu & statura præcedenti simili-*
mus, ut diu bæserim, utrum varietas,
vel species distincta esset: seâ loco nata-
li omnino differunt, nec in illo femora
nigra, & margo punctatus: Differt a Car.
striato, magnitudine duplo minori & tho-
race postice non punctato.

=====
N:o xxxiii.

CARABUS OBLONGO-PUNCTATUS.

*Niger elytris substriatis: punctis dor-
salibus & marginalibus plurimis
impressis, thorace utrinque posti-
ce unipunctato.*

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum; *Palpi, Antennæ
Maxillæque* concolores.

THORAX niger, nitidus, marginatus, con-
vexus, lineola longitudinali pun-
ctoque utrinque excavato in an-
gulo posteriori.

ELYTRA nigra, saepius thorace opaciora,
capite thoraceque haud multo
longiora, subtilissime striata: pun-
ctis plurimis longitudinalibus mi-
nutis, nudis tamen oculis bene
conspicuis, disco & margini ex-
teriori impressis.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri, nitidi.

MAGNIT. Carabum Multipunctatum æqui-
parat.

Locus: Hab. sub lapidibus.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 202. N:o 80. *Car. Oblongo-punctatus.*

V A R. β .

Niger, nucha thoraceque supra obscure subæneis, elytris obscure subæneis substria-tis: punctis dorsalibus & marginalibus; tarolis rufescentibus.

Locus: Hab. cum var. α , cui facie, magnitu-dine & statura simillimus.

OBSERV. Differt a *Car. Multipunctato* & *Boreali*, quod puncta elytrorum multo mino-ra, nec thorax postice tam profunde pun-ctatus; a *Car. Nivali*, quod elytra respe-ctu magnitudinis, breviora, & margine punctata; a *Car. Assimili*: thorace postice punctato, & elytris punctis discoiaalibus majoribus.

N:o XXXIV.

CARABUS VIRIDANUS.

Niger mucha thoraceque æneis; elytris ferrugineis: macula postica communi nigro-ænea.

DESCRIPTIO.

CAPUT subtus nigrum, supra viridi-æneum, impunctatum; *Maxillæ* nigræ; *Palpi* ferruginei; *Antennæ* basi ferrugineæ, apice nigræ; *Oculi* fuscescentes.

THORAX subtus niger, rarius æneo-niger, supra viridi-æneus, submarginalis, postice magis quam in reliquis hujus sectionis, angustatus.

ELYTRA thorace latiora, striata, ferruginea: macula magna postica communi subrotunda, nigro-ænea.

ALÆ longiores, albo-hyalinæ, macula marginali subfuscata.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES ferruginei.

MAGNIT. duplo minor præcedenti.

Locus: Habitat sub lapidibus & in quisquiliis.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 204. N:o 105. *C. Viridanus.* p. 204. N:o 109. *Car. Praesinus.* SCHÆFF. *Icon. t. XXXI. f. XIII.* THUNBERG. *Nov. Spec. Insect.* 4. 74. f. 87. *Car. Praesinus.*

V A R. β.

Niger pedibus elytrisque ferrugineis: macula communi nigro-ænea.

Locus: Hab. rarius cum var. α, cui simillimus, sed capite & thorace totis nigris.

N:o XXXV.

CARABUS RUFESCENS.

Rufus, antennis subpilosis pedibusque pallidioribus, thorace glaberrimo, elytris punctato-striatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT rufum, glabrum, latitudine fere thoracis, *Antennæ* subpilosæ, *Maxil-*

xillæ Palpique pallidiores; Oculi nigri.

THORAX rufus, glaberrimus, postice impunctatus, marginatus, maxime convexus, longitudine fere duplo latior, lineola longitudinali, vix nudis oculis conspicua.

ELYTRA rufa, dimidio corpore longiora, convexa, punctato-striata.

STERNUM rufum.

ABDOMEN rufum.

PEDES rufo-testacei.

MAGNIT. præcedentis.

Locus: Habitat in truncis arborum putridis rarius.

V A R. β .

Rufus vertice anoque nigris.

Locus: Hab. apud nos rarissime.

OBSERV. Simillimus varietati α .

SYNON. FABR. Mant. Ins. p. 204. N:o 104. Car. *Rufescens.*

XXXVI.

CARABUS CYANOCEPHALUS.

*Cœruleus nitidus, thorace pedibusque
rufo-flavis, elytris abdomine bre-
vioribus subtruncatis.*

DESCRIP.^TO.

CAPUT cœruleum, rarius nigrum; Anten-
næ nigræ, articulis duobus primis
ferrugineis.

THORAX rufo-flavus, glaberrimus, linea
longitudinali excavata, marginat-
us, antice posticeque truncatus,
angulis posticis impunctatis, acu-
tissimis.

ELYTRA cœruleo-micantia, nitidissima, sub-
truncata, abdomine paulo brevio-
ra, vix striata, thorace latiora,
subdepressa.

STERNUM nigro-cœruleum, rarius ferrugi-
neum.

ABDOMEN nigro-cœrulescens.

PEDES variant: nunc toti flavi, nunc ge-
niculis, interdum *Tibiis Tarfisque*
nigris.

MAGNIT. Car. Viridanum æquiparat.

Lo-

Locus: Habitat in putridis & intra folia arborum sat frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 203. N:o 90. CAR. *Cyanocephalus.*

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 671. N:o 21. *Faun. Sv.* N:o 794. C. *Cyanocephalus.*

DE GEER *Inf. t. 4.* p. 100. N:o 17. t. 3. f. 17. CAR. *Cyanocephalus.*

SCHÆFF. *Icon. t. XI.* f. 14.

N:o XXXVII.

CARABUS PUBESCENS.

Flavo-ferrugineus subpubescens, ab domine, thorace medio elytrorum que disco postico nigris.

DESCRIPTIO.

C A P U T ferrugineum, thoracis vix latitudine; Oculi cinerascentes.

T H O R A X tenuissime pubescens, marginatus, postice impunctatus, flavo-rufus: vitta longitudinali media, antice & postice latiore.

E L Y T R A striata, thorace paulo latiora, te-

tenuissime pubescentia, flavo-rufa: macula magna communi postica nigra, marginem tamen posticum haud attingente.

A LÆ albo-hyalinæ, vix flavescentes.

S T E R N U M nigrum.

A B D O M E N nigrum.

P E D E S rufo-flavi.

M A G N I T. latitudine, sed non longitudine
Car. Viridanæ:

Locus: Hab. in Scania rarius, Dom. QVENSEL.

V A R. B.

Pubescens niger, capite, thoracis, elytrorum marginibus pedibusque obscure rufis.

Locus: Hab. cum varietate præcedenti rarius.

O B S E R V. Simillimus habitu, statura & magnitudine, var. α , sed maxima pars elytrorum thoracisque nigra: an differentia sexus, ut in Carabo Sabulofo.

SECTIO SECUNDA:

Thorace rotundato.

N:o XXXVIII.

CARABUS SYCOPHANTA.

Nigro-violaceus pedibus antennisque nigris, elytris viridi-aureis striato-punctatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum vix violaceum: *Labium, Antennæ Palpique nigra; Maxillæ longiores, nigræ; Oculi cinerascentes.*

THORAX nigro-violaceus, subtilissime punctatus, marginatus, obovatus, longitudine fere duplo latior, lateribus rotundatis, antice postice truncatus.

ELYTRA viridi-aurea, thorace duplo latiora, capite thoraceque duplo longiora, utraque sedecim-punctato-striata: punctis quibusdam paulo majoribus triplice serie excavatis.

STER-

STERNUM violaceum.

ABDOMEN latisimum, violaceo-nigrum.

PEDES nigri.

MAGNIT. inter maximos Europæ Carabos.

Locus: Habitat in arboribus, ubi noctu devorat larvas lepidopterorum, apud nos rarer, in Europa australi frequens.

OBSERV. Vix a Car. Scrutatore FABRICII, ex America septentrionali, satis differt, quamvis ille major, thorace elytrisque aureo-purpurascenti marginatis.

SYNON. FABR. Mant. Inf. p. 197. N:o 34. Car. *Sycophanta*.

LINN. Syst. Nat. II. p. 670. N:o 12. Faun. Sv. N:o 790. Car. *Sycophanta*.

DE GEER Inf. t. 4. p. 105. N. 2. t. 17. f. 19. Car. *Sycophanta* var. *Americana*.

SCHÆFF. Icon. t. LVI. f. VI.

N:o XXXIX.

CARABUS INQUISITOR.

Aeneo-fuscus, subtus cum margine æneo-viridis, antennis pedibusque nigris, elytris striato-subrugosis: punctis triplice ordine.

DESCRIPTIO.

CAPUT fusco-æneum; Maxillæ Palpique nigri; Antennæ basi nigræ, apice fuscescētes.

THORAX subtus æneo-virescens, dorso æneo-fusco, margine elevato nitidiore, obovatus, subtilissime punctatus, longitudine fere duplo latior, lateribus rotundatis, antice posticeque truncatus, punto utrinque postico angulari excavato.

ELYTRA æneo-fusca, margine æneo nitidiore, thorace duplo fere latiora, capite thoraceque duplo longiora: striis sedecim longitudinalibus, rugis transversalibus confertissimis, vix nudis oculis conspicuis punctisque quibusdam majoribus triplici serie excavatis.

STERNUM viridi-æneum.

ABDOMEN viridi-æneum, latisimum.

PEDES nigri.

MAGNIT. dimidio fere minor est præcedenti.

LOCUS: Habitat in sylvis; in horto Carlbergiano semel magnam ejus copiam, sub lapidibus & foliis putridis inveni, versus finem mensis maji.

OBSERV. Variat interdum elytris nigrescentibus.

Differt a Car. *Sycophanta*, magnitudine, colore, thorace postice punctato, & elytris transverse subrugosis.

SYNON. FABR. *Mant. Ins.* p. 197. N:o 31. *Carabus Inquisitor.*

LINN. *Syst. II.* p. 669. N:o 11. *Faun. Sv.* N:o 789. *Car. Inquisitor.*

DE GEER *Ins. t. 4.* p. 94. N:o IX. *Car. Inquisitor.*

N:o XL.

CARABUS RETICULATUS.

Niger, thorace æruginoso postice emarginato, elytris æruginosis nigro-reticulatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* vix virescente; *Antennæ* apice fuscescentes.

THORAX subtus niger, supra æruginosus, obovatus, marginatus, margine nitidiore, subtilissime punctatus, longitudine duplo latior, lateribus rotundatis, antice truncatus, postice emarginatus; (minus tamen quam in Carabis plerisque primæ familiæ sectionis primæ).

ELYTRA æruginosa, thorace fere duplo latiora, capite thoraceque vix duplo longiora, punctis triplice serie excavatis subtilissime reticulata; reti elevata nigra, qui color tamen viridi mixtus, nisi bene observatur, vix discerni potest.

STERNUM nigrum, antice subvirescens.

ABDOMEN nigrum, latisimum.

PEDES nigri.

MAGNIT. longitudine præcedentis, sed ab domine paulo latiore.

LOCUS: Habitat in Svecia australi rarius.

OBSERV. Differt a præcedentibus colore, thorace postice emarginato elytrisque reticulatis; variat rarius corpore supra omnino nigrante.

SYNON. FABR. Mant. Ins. p. 197. N:o 33. Car. Reticulatus.

N:o XLI.

CARABUS AURO-PUNCTATUS.

Niger lœvis, thorace postice emarginato, elytris subtilissime punctato-striatis, punctisque paulo majoribus triplice serie excavatis.

DESCRIPTIO MARIS:

CAPUT totum nigrum; *Antennæ* apice fuscantes.

THORAX niger, lœvis, marginatus, obovatus, longitudine fere duplo latior,

tior, lateribus rotundatis; antice truncatus, postice subemarginatus.

ELYTRA nigra, thorace parum latiora, subtilissime punctato-striata: punctis paulo majoribus triplice serie excavatis.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES nigri; *Tibiae* curvatae.

MAGNIT. longitudine præcedentem fere superat, sed latitudine non æquiparat.

FOEMINA mari simillima, sed colore supra subvirescente, punctis æneis triplice serie, abdomine paulo latiore tibiisque anterioribus brevioribus.

Locus: Habitat in Svecia australi rarius.

OBSERV. Differt a *Carabo Inquisitore*, colore, thorace emarginato & elytris lævioribus, a *Car. Reticulato*, colore, corpore magis elongato & elytris baud reticulatis.

SYNON. **HERBST.** *Carabus Auro-punctatus*.

FABR. *Mant. Inf.* p. 197. N:o 35. **Car.** *Indagator?* affinis ei videtur, sed apterus ille, an a *Cel.* Autore oculo modo fugitivo descriptus.

N:o XLII.

CARABUS SEXPUNCTATUS.

Capite thoraceque viridi-aureis, elytris rubro-aeneis: punctis utrinque sex impressis.

DESCRIPTIO.

CAPUT viridi-aeneum, subitus obscurius; Oculi, Maxillæ, Antennæ Palpique nigri.

THORAX supra viridi-aureus, marginatus, subitus nigro-caerulescens, longitudine parum latior; postice subangustatus, puncto utrinque in angulo.

ELYTRA rubro-aenea, nitidissima, substriata; inter striam secundam & tertiam puncta utrinque sex longitudinalia excavata, margine virescente punctulato.

ALES albo-hyalinæ, punto magno marginali fusco.

STERNUM fusco-aeneum.

ABDOMEN fusco-aeneum.

PEDES: Femora fusco-aenea; Tibiæ Tarisse nigri.

MAGNIT. Car. Marginatum æquiparat,

Lo-

Locus: Habitat in hortis frequens, in apri-
co cursitans.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 202. N:o 83. Car. *Sexpunctatus*.

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 672. N:o 35. Faun.
Sv. N:o 807. Car. *Sexpunctatus*.

DE GEER *Inf.* t. 4. p. 99. N:o 16. Car.
Sexpunctatus.

SCHÆFF. *Icon. Inf.* t. LXVI. f. 7.

V A R. β.

Viridi-aeneus elytris concoloribus.

Locus: Habitat cum præcedenti, cui statura,
habitu & magnitudine omnino similis.

N:o XLIII.

CARABUS MARGINATUS.

*Viridis elytris glabris, disco utrin-
que tripunctato; margine exteriore
undique æquali latitudine, testaceo.*

DESCRIPTIO.

C A P U T viride, nitidum; **Antennæ, Maxil-**
læ, Oculi Palpique nigri.

THORAX viridis, nitidus, longitudine vix latior, marginatus, summo margine testaceo, lineola longitudinali punctoque utrinque in angulo posteriore, excavato.

ELYTRA viridia, subdepressa, capite thoraceque longiora, glaberrima subtilissime striata, thorace latiora, margine exteriore punctulato, testaceo: punctis utrinque tribus discoidalibus minutis excavatis, quorum primum baseos, in stria tertia a margine interiore, reliqua in stria secunda fere in medio.

ALAE albæ, macula magna costali fusca,

STERNUM nigro-viride, nitidum.

ABDOMEN viride, vel nigro-cœrulescenti-nitidum.

PEDES: *Femora* nigra, rarius pallescentia; *Tibiæ* pallidæ; *Tarsi* fuscescentes,

MAGNIT. præcedentis.

Locus: Habitat in arvis & pratis subhumidis.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 202. N:o 84. *Car. Mar-*
ginatus.

LINN. *Faun. Sv.* N:o 304. *Car. Marginatus.*

N:o XLIV.

CARABUS VESTITUS.

Subtus niger, supra viridi-aeneus, antennis pedibusque pallidis, elytris pubescentibus punctato-striatis, punctis majoribus nullis; limbo exteriore pallido postice latiore.

DESCRIPTIO.

CAPUT subtus nigrum, supra viridi-aeneum, nitidissimum, glaberrimum; Oculi nigri; Palpi pallide ferruginei; Antennæ pallidæ, longitudine dimidii corporis.

THORAX latitudine longitudinis, subtus niger, supra viridi-aeneus pube tenuissima, linea longitudinali punctoque utrinque baseos.

ELYTRA viridia, striata, subtilissime punctata, pube tenuissima certo situ ferrugineo-micanti penitus testa; punctis discoidalibus majoribus nullis, limbo exteriore pallido, apice latiore.

ALAE albo-hyalinæ.

STERNUM nigrum, pube tenuissima.

ABDOMEN nigrum, pube tenuissima, certo si-
tu ferrugineo-micanti.

PEDES pallidi.

MAGNIT. Car. Marginatum æquiparat.

LOCUS: Habitat in Scania sub lapidibus rarius.
Dom. QVENSEL.

SYNON. LINN. *Syst. Nat.* II. p. 670 N:o 16. *Car.*
Marginatus.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 162, N:o 41. *Le Bupreste*
verd à bordure.

PALLAS *Reise I. App.* N:o 39. *Car. Marginatus.*

V A R. β.

Subtus niger, supra violaceus, antennis pe-
dibusque pallidis, elytris pubescentibus
punctato-striatis: punctis discoidalibus
nullis; limbo exteriore pallido posti-
ce latiore.

LOCUS: Hab. cum var. α, cui colore supra
excepto, simillimus.

OBSERV. Differt a *Car. Marginato*, cui habitu &
statura similis, corpore pubescente, ely-
tris punctis discoidalibus nullis, limbo
postice latiore testaceo pedibusque totis
pallidis. Hanc Speciem ill. a LINNÉ in
Systemate Naturæ loco citato descripsit,
præcedentem vero in Fauna Svecica sub
eodem nomine, licet certe diversæ sint.

N:o XLV.

CARABUS OBSCURUS.

Niger, supra obscure nigro-subæneus, elytris striatis, disco utrinque tripunctato.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* obscure nigro-subænea.

THORAX subitus niger, dorso obscure subæneo, glaberrimo, marginatus, convexus, longitudine paulo latior, lineola longitudinali punctisque ordinariis posticis excavatis; antice truncatus, angulatus, postice rotundatus.

ELYTRA obscure nigro-subænea, latitudine haud duplo longiora, nitida, convexa, striata: inter striam secundam & tertiam puncta tria minutissima excavata; margo etiam ipse exterior punctatus est.

STERNUM nigrum, opacum; rarius obscure subæneum.

AEDOMEN nigrum, opacum, rarius obscure subæneum.

PEDES nigri.

MAGNIT. præcedentis.

LOCUS: Habitat sub lapidibus in Uplandia, tempore vernali frequens.

OBSERV. Difficillime dignoscendus: Variat colore interdum magis nigro, interdum magis cyaneo. Differt a *Car. Nigrita* & *A-terrimo*, thorace rotundato: a *C. Picipede*, magnitudine, elytris profundius striatis disco punctatis; a *C. Pilicorni*, cui etiam affinis: utennis nudis & punctis elytrorum leviibus.

N:o XLVI.

CARABUS PICTIPES.

Niger nitidus, pedibus fuscis, elytris subtilissime striatis disco impunctatis fuscis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, thorace paulo angustius.

THORAX niger, laevis, longitudine fere latitudinis, antice truncatus, angu-

latus, lineola longitudinali levisima punctisque ordinariis majoribus.

ELYTRA fusca, subtilissime striata, capite thoraceque longiora, disco impunctato, in margine subpunctato.

ALAE amplae, albæ, puncto marginali subfuscō.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES fusi, interdum subferruginei.

MAGNIT. duplo minor præcedenti.

LOCUS: Habitat in humidis & sub lapidibus.

OBSERV. Differt a Carabo Rotundato, cui magnitudine & habitu simillimus, quod ille apterus ~~est~~, elytra profundius striata, disco utrinque tripunctata.

SYNON. FABR. Mant. Ins. p. 203. N:o. 98. Car. Principes.

VAR. β.

Totus niger.

LOCUS: Habit. cum var. præcedenti, cui simillimus.

N:O XLVII.

CARABUS PILICORNIS.

Elytris punctato-striatis, disco utrinque tripunctato; antennis pilosis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* obscure ænea; *Antennæ* pilis longioribus hirtæ, fuscæ, *fuscæ*, primo articulo æneo; *Palpi* fuscæ, *Oculi* prominenti, nigri.

THORAX subtilis niger, dorso obscure æneo, marginatus, rotundatus, lineola longitudinali punctoque utrinque ordinario postico.

ELYTRA obscure ænea, punctis minutissimis striata: punctis tribus majoribus, nudis oculis bene conspicuis in serie disco impressis.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES rufi; *Femora* nigra.

MAGNIT. Car. Marginatum æquiparat.

LOCUS: Habitat ad littora humida & sub lapidibus.

OBSERV. Optime antennis valde pilosis dignoscitur.

Syn-

SYNON. FABR. MANT. *Ins.* p. 200. N:o 65. *Car.*
Pilicornis.

N:o XLVIII.

CARABUS QVADRIPIUNCTATUS.

Niger, supra obscure subæneus, nitidus, depresso, elytris substria-tis: punctis quatuor discoidalibus serie impressis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* obscure subænea.

THORAX subitus niger, supra obscure sub-æneus, acute marginatus, linea-ja longitudinali, punctis ordina-riis nullis.

ELYTRA thorace multo latiora, obscure sub-ænea, substriata: punctis quatuor longitudinalibus in disco pro-funde impressis.

ALAE amplæ, albo-hyalinæ, macula par-va marginali fusca.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN latum, nigrum, nitidum.

PEDES, nigri, nitidi.

MAGNI-

MAGNIT. dimidio minor præcedenti.

Locus: Habitat pasim.

OBSERV. Variat rarius punctis utringue quinque impressis.

Synon. DE GEER Inf. t. 4. p. 102. N:o 21. Car. Quadripunctatus.

N:o XLIX.

CARABUS BIPUSTULATUS.

Pubescens niger, elytris crenato-striatis: maculis duabus ferrugineis:

DESCRIPTIO.

CAPUT minutissimum, totum nigrum; oculi prominuli.

THORAX capite duplo latior, villosus, orbiculatus, undique punctatus, punctis ordinariis majoribus nullis.

ELYTRA thorace latiora, reliquo corpore duplo longiora, crenato-striata, nigra: maculis duabus magnis ferrugineis, quarum anterior in margine exteriore, major; posterior subrotunda.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES nigri.

MAGNIT. Car. Marginato paulo minor.

LOCUS: Habitat sub lapidibus.

SYNON. FAER. Mant. Inf. p. 205. N:o 106. Car. Bi-pustulatus.

LINN. Syst. Nat. 11. p. 673. N:o 39. Faun. Sv. N:o 808. Car. Crux Major.

SCHÆFF. Icon. t. 10. f. 13. minus accurate a Dem. FABRICIO ad sequentem relata.

N:o L.

CARABUS CRUX MAJOR.

Niger glaber, thorace pedibusque rufis, elytris truncatis convexis, thorace duplo latioribus, ferrugineis cruce nigra.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum; **A**ntennæ basi ferrugineæ.

THORAX rufus, glaberrimus, suborbiculatus, vix capite latior.

F ELY-

ELYTRA truncata, convexa, abdomine pau-
lo breviora, thorace duplo latiora,
levisime striata, ferruginea,
macula scutellari; fascia lata obli-
qua in medio; futura & margine
postico nigris.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES rufi *geniculis* fuscescentibus.

MAGNIT. longitudine vix Car. Picipedis,
sed abdomine latiore.

Locus: Habitat sub foliis putridis & lapidibus
tempore vernali.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 204. N:o 94. Car. *Crux Major.*

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 673. N:o 40. Faun.
Sv. N:o 809. Car. *Crux minor.*

SCHÆFF. *Icon.* t. 18. f. 8. a Dom. FABRICIO
falso ad Car. Crucem minorem citata.

N:o LI.

CARABUS QVADRIMACULATUS.

Niger, thorace sternoque rufo-ferrugineis, elytris obtusissimis depresso-sis, thorace paulo latioribus bi-maculatis, pedibus flavo-lividis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum; *Antennæ, Maxillæ] Palpi-que* flavo-lividi.

THORAX rufus, capite vix latior, lineola longitudinali, glaberrimus, punctis ordinariis nullis, marginatus, subrotundus, postice subangustatus.

ELYTRA nigro-fusca, substriata, thorace haud duplo latiora, truncata, obtusissima, abdomine paulo breviora, depressa: macula ovata livida baseos, & alia apicis, ejusdem magnitudinis.

ALÆ albæ, macula marginali fusca.

STERNUM rufo-ferrugineum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES flavo-lividi.

MAGNIT. longitudine præcedentis, sed angustior. F 2 Lo-

Locus: Habitat apud nos rarius.

OBSERV. Differt a præcedenti, cui affinis, colore, elytris depresso thorace baudo duplo latioribus.

SYNON. FABR. Mant. Inf. p. 205. N:o 113. Car. Quadrimeaculatus.

LINN. Syst. Nat. II. p. 673. N:o 41. Faun. Sv. N:o 813. Car. Quadrimeaculatus.

N:o LII.

CARABUS CRUX MINOR.

Niger, thorace pedibusque rufis, elytris integris thorace vix latioribus, basi rufis, postice nigris: macula communi rufa.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum, thorace paulo angustius; *Palpi & Antennarum basis rufa.*

THORAX rufus, marginatus, rotundatus, glaberrimus, antice truncatus, postice subangustatus: lineola longitudinali punctisque ordinariis profundioribus.

ELY-

ELYTRA thorace paulo latiora, striata, basi ad tertiam partem longitudinis rufa, postice nigra: macula communis subrotunda rufa; sutura ad hanc maculam, non vero postice, tenuissime rufa.

ALAE albæ, vel subflavescentes.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES rufi.

MAGNIT. longitudine Car. Crucis majoris, latitudine Car. Agilis.

LOCUS: Habitat sub foliis putridis, primo vere.

OBSERV. Differt a Car. Cruce majore: colore, thorace antice latiore elytrisque angustioribus, basi truncatis. Synonyma LINNEANA & SCHÆFFERIANA, a Dom. FABRICO, huic speciei attributa, ad Car. Crucem majorem pertinent, ut supra notavi.

SYNON. FABR. Mant. Inf. p. 204. N:o 100. *Car. Crux minor.

CARABUS USTULATUS.

*Niger, supra obscure nigro-subæneus,
thorace subdepresso: punctis ordinariis profundioribus, elytris obsolete pallide fasciatis.*

DESCRIP^TO,

CAPUT nigrum, seu obscure nigro-subæneum; Oculi prominuli, Antennæ Palpique nigri.

THORAX niger, lævis, glaber, supra obscure nigro-subæneus, marginatus, subdepressus, lineola longitudinali punctisque ordinariis profundioribus.

ELYTRA obscure nigro-subænea, punctato-striata, thorace haud multo latiora: fascia obsoleta postica pallida, interdum quoque fasciolla anteriore.

ALÆ albæ.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES nigri.

MAGNIT. inter minores est, & Car. bipunctatum vix superat. Lo-

Locus: Habitat in putridis frequentior.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 205. N:o 115. Car. *Ustulatus*.

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 673. N:o 38. Faun. Sv. N:o 810. Car. *Ustulatus*.

V A R. β.

Niger, supra obscure nigro-subæneus nitidus, thorace nitidiore, elytris maculis quatuor magnis obsoletis rufo-pallidis, pedibus antennarumque basi ferrugineis.

Locus: Habitat cum præcedenti frequens.

OBSERV. Simillimus habitu & statura var. α, sed paulo major, seu magnitudine Carab. *Picipedis*.

V A R. γ.

Niger, vel obscure nigro-æneus: margine exteriore pallide denticulato, pedibus brunneis.

Locus: Hab. apud nos minus frequens.

OBSERV. Magnitudine & summa similitudine, cum var. α notatur.

SYNON. Car. *Dentellus*. THUNBERG. *Mus. Nat. A. U.* pag. 50.

V A R. δ.

Niger, fasciis binis obliquis inæqualibus testaceis fenestratis, marginem haud attingentibus.

Locus: Habitat rarius apud nos.

OBSERV. Magnitudine var. & paulo minor, cetero
huic simillimus.

SYNON. FABR. *Mant. Ins.* p. 188. N:o 3. *Elaphrus.*
Rupestris.

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 658. N:o 12. *Cicindela*
Rupestris: sed hujus generis & tho-
rax haud globosus.

N:o LIV.

CARABUS SUBGLOBOSUS.

Niger, thorace obscure subæneo sub-
globoso postice angustato, elytris pun-
ctato-striatis: maculis quatuor pal-
lidis discoidalibus.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* obscure subænea;
Oculi prominuli; *Antennæ* sæpius
basi ferrugineæ.

THORAX supra obscure subæneus, globo-
sus, vix marginatus, glaberrimus,
postice angustatus: lineola
nulla longitudinali, punctis ordi-
nariis minoribus.

ELY-

ELYTRA thorace latiora, nigra, nitida, subtilissime punctato-striata: maculis utrinque duabus discoidalibus minoribus, orbiculatis, altera baseos, altera apicis.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES pallidi; *Femora* rarius nigra.

MAGNIT. inter minores est, seu magnitudine Car. Meridiani.

LOCUS: Habitat in putridis.

SYNON. LINN. *Syst. Nat.* II. p. 158. N:o 13. *Faun.* Sv. N:o 151. *Cicind. quadrimaculata*, quæ certe hujus generis est.

VAR. β.

*Niger, nucha thorace que obscure subæneis,
elytris basi macula orbiculata postica,
pedibus pallide ferrugineis.*

LOCUS: Habitat cum var. α, cui magnitudine, habitu & statura omnino similis.

OBSERV. Differt a Car. *Ustulato*, thorace subgloboso postice angustato, punctis ordinariis minoribus.

N:o LV.

CARABUS QVADRIGUTTATUS.

Niger subdepressus, lævisimus, tho-
race punctis ordinariis nullis, ely-
tris oblique truncatis: punctis
quatuor albis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, thoracis latitudine.

THORAX niger, subdepressus, marginatus,
 impunctatus, lineola longitudinali
 non nisi oculo armato conspi-
 cuia.

ELYTRA nigra, lævisima, oblique truncata,
 abdomen tamen obtegentia;
 punctis utrinque duobus albis,
 anteriore majore.

ALÆ albicantes.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES nigri; *Tibiæ* interdum pallidiores.

MAGNIT. Car. Truncatellum æquiparat.

LOCUS: Habitat in Svecia australi rarius.

OBSERV. Differt a Car. Ustulato, magnitudine mi-
 nori, thorace impunctato elytrisque læ-
 vis-

vissimis; a Car. Subgloboſo, corpore ma-
gis depresso, & elytris laevissimis.

SYNON. FABR. Mant. Inf. p. 205. N:o 114 Car. Qua-
 driguttatus.

N:o LVI.

CARABUS RIPARIUS.

Niger nitidus, elytris convexis inte-
gris striatis impunctatis: macula
utrinque apicis albo-fenestrata;
pedibus piceis.

DESCRIPTIO,

CAPUT nigrum, nitidum. thoracis latitu-
 dine; Oculi parum prominuli.

THORAX niger, nitidus, vix marginatus,
 glaberrimus, antice truncatus,
 postice rotundatus, punctis ordi-
 nariis profundioribus.

ELYTRA nigra, integra, glaberrima, thora-
 ce paulo latiora, subtilissime stria-
 ta, impunctata: macula parva ver-
 sus apicem, non tamen in ipso
 apice, albo-fenestrata.

STER-

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES picei.

MAGNIT. inter minimos est, & Car. Truncatello fere minor.

Locus: Habitat ad ripas arenosas, præsertim in Norrlandia.

OBSERV. Differt a Car. Subgloboso, colore elytrisque impunctatis.

N:o LVII.

CARABUS QVADRISTRIATUS.

*Niger, elytris disco utrinque quadri-
striato, limbo exteriore glaberrimo,
pedibus pallidis.*

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, thorace angustius; *An-*
tennæ Palpique basi pallidi.

THORAX niger, nitidus, marginatus, linea-
la longitudinali.

ELYTRA nigra, nitida, integra, thorace
latiora: striis quatuor subtilissime
pun-

punctatis discoidalibus ad marginem interiorem, apicem haud attingentibus: limbo omni exteriōri glaberrimo.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES rufo-pallidi.

MAGNIT. Car. Truncatello paulo major est.

Locus: Habitat in Svecia australi.

V A R. β.

Nigro-fuscus, thorace elytrisque obscure castaneis: striis quatuor, discoidalibus; limbo glaberrimo, pedibus pallidis.

Locus: Habitat cum varietate præcedente, cui magnitudine, facie & statura simillimus.

SYNON. SCHRANK. *Enum. Ins. Austriae.* p. 818. N:o 410. Car. *Quadrifstriatus*.

V A R. γ.

Totus niger, pedibus concoloribus, elytris quadrifstriatis: limbo exteriore glaberrimo.

Locus: Habitat passim. Simillimus facie & statura præcedentibus, sed paulo minor.

OBSERV. Species hæc ab omnibus dignoscitur elytris quadrifstriatis, limbo glaberrimo.

N:o LVIII.

N:o LVIII.

CARABUS SECALIS.

*Ferrugineus, pedibus pallidioribus,
elytris integris striato-punctatis.*

DESCRIPTIO.

CAPUT ferrugineum: Oculi nigri.

THORAX rufus, marginatus, glaberrimus, antice posticeque truncatus, latitudine fere elytrorum: punctis ordinariis minoribus, lineola longitudinali levissima.

ELYTRA ferruginea, integra, punctato-striata.

ALAE albo-hyalinæ.

STERNUM ferrugineum.

ABDOMEN ferrugineum.

PEDES flavo-pallidi.

MAGNIT. Car. Truncatello paulo major.

Locus: Habitat in agris secalinis mense septembri frequens, an larva ejus segeti nocet?

OBSERV. Color ferrugineus in fuscum interdum transit.

V A R. β.

Niger pedibus pallidis, thorace elytrorumque futura ferrugineis.

Locus: Habitat rarissime cum var. præcedenti, cui, colore excepto, adeo similis, ut distingvi nequeat.

N:o LIX.

CARABUS MERIDIANUS.

Niger elytris integris striatis basi futuraque testaceis, antennis basi pedibusque ferrugineis.

DESCRIPTIO.

C A P U T nigrum: *Antennæ Palpique basi ferruginei.*

T H O R A X niger, nitidus, marginatus, lineola longitudinali, punctis ordinariis impressis, convexus, rotundatus, antice posticeque truncatus.

E L Y T R A abdomen obtegentia, striata, nitida, basi late, & futura tenuissime testacea.

ALEX

A L E albo-hyalinæ,

S T E R N U M nigrum.

A B D O M E N nigrum.

P E D E S ferruginei.

M A G N I T. Car. Truncatellum paulo superat.

L O C U S: Habitat sub foliis putridis.

S Y N O N. LINN. *Syst. Nat.* II. p. 673. N:o 36. Faun. Sv. N:o 797. Car. Meridianus.

V A R. β.

Niger, elytris macula baseos in angulo exteriore pedibusque ferrugineis.

L O C U S: Habitat cum var. α, cui habitu, magnitudine & statura omnino simillimus.

S Y N O N. FABR. *Mant. Ins.* p. 205. N:o III. Car. Meridianus.

DE GEER *Ins. t. IV.* p. 102. N:o 20. Car. Bimaculatus.

V A R. γ.

Niger, thoracis margine pallido, elytris pallidis: macula magna dorsali fere communis, nigra; antennis basi pedibusque ferrugineis.

L O C U S: Habitat cum varietatibus præcedentibus, quibus, colore excepto, similissimus.

S Y N-

SYNON. FABR. Mant. Ins. p. 205. N:o 116. CAR. Dor-
salis.

N:o LX.

CARABUS FASCIATUS.

*Testaceus capite nigro, elytris lœvis-
simis flexilibus truncatis: fascia
obliqua fusca.*

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum: Antennæ Palpi-
que ferruginei.

THORAX flavo-ferrugineus, marginatus,
antice posticeque truncatus, po-
stice angustatus, punctis ordina-
riis impressis.

ELYTRA thorace non multo latiora, de-
pressa, flexilia, truncata, abdo-
mene paulo breviora, lœviſſima,
testacea: fascia pone medium ob-
liqua fusca.

STERNUM flavo-testaceum.

ABDOMEN flavo-testaceum: lateribus & in-
terdum apice fuscescentibus.

PEDES testacei.

MAGNIT. inter minimos est, seu magnitudine sequentis.

Locus: Habitat sub lapidibus & foliis putridis, tempore vernali.

OBSERV. *Affinis videtur Car. Andreæ, sed multo minor, nec thorax niger, & elytra antice fusca.*

N:o LXI.

CARABUS TRUNCATELLUS.

Supra obscure subæneus, subtus niger, elytris lævissimis oblique truncatis abdomine brevioribus.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* obscure subænea, thoracis latitudine.

THORAX obscure subæneus, marginatus, antice paulo latior, postice punctis ordinariis impressis.

ELYTRA obscure subænea, lævissima, anteriore parte thoracis vix latiora, abdomine breviora, postice obli-

oblique truncata: angulo exterio-
re obtuso.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum:

PEDES nigri.

MAGNIT. inter minimos hujus generis est.

Locus: Habitat in apricis primo vere.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 206. N:o 123. *Car. Truncatellus.*

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 672. N:o 43. *Faun. Sv.*
N:o 814. *Car. Truncatellus.*

N:o LXII.

CARABUS BIPUNCTATUS.

*Supra obscure subæneus, subtus niger,
elytris integris utrinque bipuncta-
tis, pedibus obscure subæneis.*

DESCRIPTIO.

CAPUT subtus nigrum, *nucha* obscure sub-
ænea: *Oculi* fusi, *Antennæ*, *Ma-*
xillæ *Palpique* nigri.

THORAX vix capite latior, subtus niger,
G 2 su-

supra obscure subæneus, marginatus, lineola longitudinali profundiori, nudis oculis conspicua punctisque ordinariis.

ELYTRA obscure subænea, thorace latiora, integra; oculo armato subtilissime punctato-striata apparent; punctis utrinque duobus majoribus impressis, altero anteriori, altero posteriori, nudis oculis bene conspicuis.

ALÆ albo-hyalinæ.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES nigri.

MAGNIT. paulo major est præcedenti.

Locus: Habitat in quisquiliis.

SYNON. LINN. *Syst. Nat.* II. p. 672. N:o 33. Faun. Sv. N:o 806. CAR. *Bipunctatus*.

OBSERV. A sequenti, seu CAR. *Bipunctato FABRICII* diversissimus.

N:o LXIII.

CARABUS RUFIPES.

*Supra obscure subæneus, subtus niger,
pedibus rufis, thorace glaberrimo,
elytris integris subtilissime pun-
ctato-striatis.*

DESCRIPTIO.

CAPUT thoracis fere latitudine, subtus nigrum, *nucha* obscure subænea: *Antennæ, Maxillæ, Oculi Palpique* nigri.

THORAX glaberrimus, vix marginatus, magis quam in præcedente conve-
xus, lineola longitudinali levissima nudis oculis inconspicua, punctisque ordinariis impressis.

ELYTRA obscure subænea, thorace vix la-
tiora, oculo armato subtilissime
punctato-striata, punctis vero ma-
joribus nullis excavatis.

ALÆ albo-hyalinæ, breviores.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES: *Femora rufa: Tibiæ Tarsiique* pal-
lidiores.

MAGNIT. præcedentis.

LOCUS. Habitat in Svecia australi.

OBSERV. Differt a Car. Bipunctato, cui affinis, colore pedum, thorace glabriori, nec ulla lineola thoracis punctave excavata elytrorum nudis oculis conspicua. Convenit buic omnino descriptio FABRICIANA, que puncta bina excavata elytrorum non exhibet; mihi quoque a Celeb. illo Auctore sub nomine Car. Bipunctati missus.

SYNON. FABR. Mant. Ins. p. 205. N:o 121. Carab. Bipunctatus.

N:o LXIV.

CARABUS AGILIS.

Rufus, abdomine postice fusco, elytris depresso fuscis, truncatis, striatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT rufum; *Oculi* nigri.

THORAX rufus, marginatus, lineola levissima longitudinali; pilis quibusdam rara-

rarioribus, longioribus, marginibus.

ELYTRA fusca, depressa, striata, truncata, abdomine breviora; angulo posteriore obtuso, interiore acuto.

ALÆ albæ, macula marginali fusca.

STERNUM rufum.

ABDOMEN rufum, apice fusco.

PEDES rufo-flavi.

MAGNIT. Car. Viridanum æquiparat.

LOCUS: Habitat in foliis arborum convolutis.

SYNON. FABR. Mant. Inf. p. 204. N:o 99. Car. Agilis.

VAR. β.

Rufus, elytris pedibusque pallidioribus, capite limboque exteriori elytrorum fuscis.

LOCUS: Habitat cum varietate præcedente, cui, colore excepto, simillimus.

SYNON. QVENSEL *Dissert. Ignot. Insect. Spec. P. I.* p. 18. *Carab. Arboreus.*

VAR. γ.

Fuscus, subitus, apice abdominis excepto, maxillis, antennis pedibusque rufo-flavus, elytris puncto medio pallido.

Locus: Habitat cum præcedentibus, quibus,
colore excepto, similimus.

V A R. d.

*Testaceus, elytris pallidioribus, capite
nigro.*

Locus: Habitat apud nos rarius: simillimus
præcedentibus, colore excepto.

OBSERV. Variat sterno fusco & testaceo.

SYNON. FABR. *Mant. Ins.* p. 205. N:o 117. Car.
Atricapillus.

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 673. N:o 42. Car. *A.
tricapillus.*

SECTIO TERTIA:

Thorace elongato.

N:o LXV.

CARABUS CEPHALOTES.

Niger elongatus lœvis, capite thoracis magnitudine, thorace postice coarctato.

DESCRIPTIO,

CAPUT nigrum, magnum; Oculi pupilati.

THORAX niger, lineola longitudinali, convexus, vix marginatus, postice coarctatus.

ELYTRA nigra, dimidio corpore longiora, oculo armato tenuissime punctato-striata, parte anteriore thoracis vix latiora.

ALÆ amplæ, albo-hyalinæ, basi nervisque flavicantibus.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN elongatum, nigrum.

PEDES mediocres, nigri.

MAGNIT. longitudine Car. Violacei, sed multo angustior.

LOCUS: Habitat passim sub glebulis agrorum, subque lapidibus circa Upsaliam, mensa Augusti.

OBSERV. Nescio qua ratione Autores fere omnes hanc speciem apteram esse indicaverint, cum semper alata est, & a Tenebrione Gibbo LINNEI, quem FABRICIUS pro varietate ejusdem habet, certe diversissima.

SYNON. FABR. Mant. Inf. p. 198. N:o 39. Car. Cephalotes.

LINN. Syst. Nat. II. p. 669. N:o 9. Faun. Sv. N:o 788. Car. Cephalotes.

SCHÆFF. Icon. Inf. t. XI. f. 1.

N:o LXVI.

CARABUS CREPITANS.

Ferrugineus, oculis abdomineque nigris, elytris truncatis nigro-cæruleis.

DESCRIPATIO.

CAPUT ferrugineum, thoracis latitudine; Antennæ apice obscuriores: Oculi minuti, prominuli, nigri.

THORAX ferrugineus, convexus, marginatus, postice coarctatus, lineola longitudinali.

ELYTRA nigro-violacea, thorace duplo latiora, substriata, apice truncata.

STERNUM nigrum, opacum.

ABDOMEN elytris paulo longius, opacum, nigrum.

PEDES: Femora & Tibiae ferruginea; Tarsi fuscescentes.

MAGNIT. Car. Viridanum æquiparat.

LOCUS: Habitat sub lapidibus.

SYNON. FABR. Mant. Inf. p. 200. N:o 61. Car. Crepitans.

LINN. Syst. Nat. II. p. 671. N:o 18. Faun. Sv. N:o 792. Car. Crepitans.

DE GEER Inf. t. IV. p. 103. N:o 22 t. 3. f. 18. 19. Car. Crepitans.

SCHÆFF. Icon. t. XI. f. 13.

N:o LXVII.

N:o LXVII.

CARABUS ANGUSTATUS.

*Cyaneus, sterno, pedibus elytrisque,
apice excepto, ferrugineis, thora-
ce longissimo subcylindrico.*

DESCRIPTIO.

CAPUT nigro-cyaneum, nitidum, magnum:
Antennæ Palpique basi flavicantes.

THORAX cyaneus, subcylindricus, capite
angustior, magis quam in conge-
neribus elongatus.

ELYTRA thorace duplo latiora, vix stria-
ta, truncata, ferruginea, apice
cyanea.

STERNUM ferrugineum.

ABDOMEN cyaneum, nitidum, elytris paulo
longius.

PEDES ferruginei: *geniculi Tarsique* fusi.

MAGNIT. longitudine vix præcedentis, &
multo angustior.

LOCUS: Habitat in Svecia rarius.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 205. N:o 122. Car. *An-*
gustatus.

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 620. N:o 6. *Attelabus*
Melanurus.

SE-

SECTIO QVARTA:

Thorace subquadrato.

N:o LXVIII.

CARABUS QVADRISULCATUS.

Niger, thorace punctato trisulcato, elytris sulcis quatuor holosericeo-pubescentibus.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum: Antennæ apice fuscescentes, Maxillæ breviores.

THORAX niger, marginatus, angulatus, anteice lævis, nitidus, profunde punctatus, dorso sulcis tribus lateribus abbreviatis; postice subtilissime punctatus, tenuissime holosericeo-pubescentis, punctis ordinariis nullis.

ELYTRA nigra, subtilissime punctata: fulcis quatuor tenuissime holosericeo-pubescentibus; margo exterior punctis paulo majoribus.

ALEX

ALÆ albo-hyalinæ.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES breviores, nigri.

MAGNIT. Car. Nitentem æquiparat.

Locus: Habitat in Gotllandia rarissime, nec nisi unicum vidi in Museo Academiæ Upsaliensis.

N:o LXIX.

CARABUS HOLOSERICEUS.

Subtus niger lævis, supra pube tenuisima holosericeus, capite æneo-nitido;

DESCRIPTION.

CAPUT subtus nigrum, supra æneo-nitidum: *Maxillæ, Antennæ, Palpi Oculique nigri.*

THORAX subtus lævis, niger, supra pube tenuisima holosericea-fuscescente, subtilissime punctatus, marginatus: lineola longitudinali punctisque ordinariis minutis.

ELY-

ELYTRA pube tenuissima holofericeo-fuscescentia, convexa, substriata, subtilissime punctata: punctis quibusdam paulo majoribus margine exteriore.

ALAE latiores, corpore longiores, albo-hyalinæ nervis ferrugineis; lunula marginali costaque ad lunulam fuscescentibus.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri.

MAGNIT. Carab. Multipunctatum æquiparat.

LOCUS: Habitat in pratis humidis sub lapidis bus, primo vere.

SYNON: FABR. *Mant.* *Ins.* p. 199. N:o 52. CAR. *Holofericeus.*

No LXX.

CARABUS NIGRICORNIS.

*Niger laevis, thorace capiteque æneis
elytris striatis viridibus: punctis
discoidalibus nullis.*

DESCRIPTIO.

C A P U T supra viridi-æneum, nitidissimum, subitus nigrum: *Oculi, Maxillæ Palpique nigri; Antennæ longiores, nigræ, primo articulo rufo.*

T H O R A X supra æneus, subitus nigro-violaceus, capite multo latior, oculo armato subtilissime punctatus: linea longitudinali punctisque ordinariis posticis profundius excavatis.

E LY TRA viridia, striata, convexa, medio thoracis antice haud latiora: punctis discoidalibus nullis.

S T E R N U M nigrum.

A B D O M E N nigrum, rarius subviolaceum.

P E D E S variant: interdum toti nigri: saepius *Femora rufa, Tibiæ Tarſique fuscescentes; interdum Tibiæ etiam rufæ.*

M A G N I T. præcedentis.

Lo-

Locus: Habitat sub lapidibus & in pratis humidis.

OBSERV. *Statura & habitu Car. Holosericei, sed lœvis, & puncta ordinaria thoracis majora.*

SYNON. *FABR. Mant. Inf. p. 202. N:o 82. Car. Nigricornis.*

N:o LXXI.

CARABUS CUPREUS.

Subtus niger, supra rubro-æneus, elytris punctis quatuor discoidalibus; posticis excavatis longitudinalibus, thorace punctis utrinque binis.

DESCRIPTIO.

C A P U T supra rubro-æneum, nitidum; subtus cum *Maxillis*, *Palpis* *Oculis*-que nigrum. *Antennæ* nigræ: primo secundoque articulo ferrugineis, pilis quibusdam longioribus.

T H O R A X supra rubro-æneus, subtus niger, vel obscure cœrulescens, capite

H

la-

latrior, marginatus: lineola longitudinali punctisque duobus majoribus approximatis lateralibus postice impressis.

ELYTRA rubro-aenea, antice thoracis latitudine, in medio latiora, striata punctis minutissimis: punctis quatuor paulo majoribus, licet vix nudis oculis conspicuis in stria secunda a margine interiore, quorum primum in medio, secundum & tertium posteriora, & quartum in ipso apice; margo exterior etiam notatus punctis adhuc majoribus, nudis oculis conspicuis.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES nigri.

MAGNIT. præcedentis.

LOCUS: Habitat apud nos frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 201. N:o 68. CAR. *Cupreus*.

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 672. N:o 29. FAUN. SV. N:o 801. CAR. *Cupreus*.

DE GEER *Inf. t. IV.* p. 97. N:o 13. t. 3. f. 15.

VAR. B.

Subtus niger, supra viridi-aeneus.

LOCUS: Habitat cum præcedenti frequens.

SYN.

SYNON. FABR. Mant. Ins. p. 200. N:o 66. CAR. Cærulescens.

LINN. Syst. Nat. II. p. 672. N:o 28. Faun. Sv. N:o 800. CAR. Cærulescens.

VAR. γ.

Totus niger.

LOCUS: Habitat cum præcedentibus frequens.

VAR. δ.

Subtus niger, supra obscure violaceus.

LOCUS: Habitat apud nos rarius.

OBSERV. Varietates hæ omnes babitu, statura & magnitudine simillimæ.

N:o LXXII.

CARABUS PROTEUS.

Lævis cylindricus, thorace punctis ordinariis levioribus, elytris striatis disco impunctatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT crassum, ferrugineum, basi ad collum, æneum: *Antennæ Palpique*

H 2

te-

testacei; *Maxillæ validæ, ferrugineæ, apice obscuriores; Oculi cinerascentes.*

THORAX undique elytrorum latitudine, subtus testaceus, supra æneus, linea longitudinali punctoque postico utrinque unico leviter excavato.

ELYTRA striata: capite thoraceque vix longiora, viridi-ænea, punctis discoidalibus nullis.

ALÆ albo-hyalinæ, nervis fuscescens tibus.

STERNUM testaceum.

ABDOMEN breve, testaceum.

PEDES testacei.

MAGNIT. paulo minor est præcedenti.

LOCUS: Habitat in Svecia australi rarius.

SYNON. FABR. Mant. Ins. p. 202. N:o 81. Car. *Æneus.*

VAR. β.

Niger, subtus ferrugineo-flavescens, capite rufo, antennis pedibusque flavis.

LOCUS: Habitat cum præcedente.

LOCUS: FABR. Mant. Ins. p. 201. N:o 72. Car. *Erythrocephalus.*

VAR. γ.

Flavus, thorace supra elytrisque fuscescentibus.

Locus: Habitat in Uplandia rarius.

VAR. δ.

Subtus niger, supra cyaneus, antennis pedibusque rufis.

Locus: Habitat in Svecia australi minus frequens.

OBSERV. *Pedes & Antennæ interdum fuscescentes.*

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 201. N:o 71. CAR. *Cyanus.*

VAR. ε.

Niger, pedibus antennisque rufis.

Locus: Habitat frequentissime in quisquiliis & sub lapidibus.

SYNON. LINN. *Syst. Nat.* II. p. 672. N:o 24. FAUN. SV. N:o 2276. CAR. *Latus.*

DE GEER *Inf.* t. 4. p. 100. N:o 18. CAR. *Latus.*

SCHRANK *Enum. Inf. Austricæ.* p. 211. N:o 397. CAR. *Latus: sed major.*

GEOFFR. *Inf.* t. 1. p. 160. N:o 37.

VAR. ζ.

Totus niger.

H 3

Lo-

Locus: Habitat cum præcedenti frequentior,

V A R. n.

*Niger thorace supra elytrisque viridi-æneis,
pedibus antennisque rufis.*

Locus: Habitat sub lapidibus vulgatior.

OBSERV. Variat pedibus antennisque piceis.

SYNON. SCHRANK *Enum. Ins. Austr.* p. 212. N:o 399.
Car. Affinis.

V A R. 9.

*Subtus, cum pedibus antennisque nigro-brun-
neus, capite nigro, thorace supra ely-
trisque viridi-æneis.*

Locus: Habitat cum præcedentibus.

SYNON. DE GEER *Ins. t. IV.* p. 97. N:o 14. *Cara-
bus Vulgaris;* thorax vero postice haud bi-
punctatus.

V A R. 1.

*Niger, capite punctis duobus minutissimis
rubris, antennis basi flavis.*

Locus: Habitat apud nos rarius.

SYNON. FABR. *Mant. Ins.* p. 199. N:o 55. *Car. Bi-
notatus.*

O B-

OBSERV. Varietates hæ. omnes adeo statura, magnitudine & habitu similes, ut omnes ad unam speciem retulerim: an jure? vidi ipse Carabos var. ♂ & ♀. copula junctos.

N:o LXXIII.

CARABUS ALPINUS.

Niger, thorace punctis ordinariis bilobis, elytris striato-punctatis rufo-ferrugineis: margine maris nigro.

DESCRIPTIO.

CAPUT breve, crassum, nigrum: Antennæ basi ferrugineæ.

THORAX niger, subdepressus: lineola longitudinali punctisque ordinariis levioribus utrinque bilobis.

ELYTRA rufo-ferruginea, thoracis latitudine, subtilissime punctato-striata: summo margine omni, anteriore excepto, nigro; margine exteriore nullis punctis distinctis majoribus.

H 4

STER-

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES: *Femora* subclavata & *Tibiæ* rufo-ferruginea; *Tarsi* fuscescentes.

MAGNIT. Car. Lato paulo minor est.

FEMINA mari simillima, at paulo major,
seu magnitudine Car. Lati, & e-
lytra tota rufo-ferruginea, mar-
gine concolore, antice impuncta-
to, postice punctis octo distinctis.

LOCUS: Habitat in summis alpibus Lapponi-
cis & Dalecarlicis.

OBSERV. Differt a Car. *Proteo*, tborace punctis
ordinariis bilobis: a Car. *Bicolore*, cui
similis, colore, magnitudine, loco natali,
& margine elytrorum maris impunctato.

N:o LXXIV.

CARABUS RUFICORNIS.

Niger, antennis pedibusque ferrugineis, thorace basi subretuso subrugoso, elytris striatis subtilissime punctatis subvillosis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum: punctis duobus frontalis impressis; Maxillæ piceæ: Antennæ Palpique ferruginei.

THORAX niger, elytrorum latitudine, linea longitudinali, antice glaber, postice loco punctorum ordinariorum subretusus, levissime rugosus.

ELYTRA nigra, striata, oculo armato unque subtilissime consertissimeque punctata apparent; e puncto singulo pilus brevisimus subflavescens oritur: hinc elytra undique subtilissime villosa, certo situ flavidicantia, micantia; margini insunt puncta nulla distincta majora.

STERNUM piceo-nigrum.

ABDOMEN piceo-nigrum.

PEDES flavo-ferruginei.

MAGNI-

MAGNIT. Car. Cupreo longior & latior.

LOCUS: Habitat sub lapidibus frequens.

OBSERV. Mares feminis simillimi.

SYNON. FABR. Mant. Inf. p. 199. N:o 48. Car. Ru.
ficornis.

GEOFFR. Inf. t. 1. p. 160. N:o 38. Le Bu.
preste noir velouté.

N: LXXV.

CARABUS BICOLOR.

*Supra niger, subtus cum antennis pe-
dibusque piceo-ferrugineus, thora-
ce postice utrinque bipunctato, e-
lytris punctato-striatis: punctis
octo majoribus marginalibus
distinctis.*

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, antice punctis duobus im-
pressis: Maxillæ piceæ; Antennæ
Palpique obscure ferruginei.

THORAX latitudine fere elytrorum, subtus
piceus, supra niger, convexus:
li-

lineola longitudinali punctoque dupli ordinario impresso.

ELYTRA nigra, convexa, subtilissime punctato-striata: punctis octo majoribus distinctis in ipso margine exteriore a medio ad apicem.

STERNUM piceo-ferrugineum.

ABDOMEN piceo-ferrugineum,

PEDES piceo-ferruginei: *Femora* subclavata; *Tibiæ* anteriores subspinosaæ.

MAGNIT. præcedentem æquiparat.

Locus: Habitat sat frequens sub lapidibus.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 199. N:o 49. *Car. Bicolor.*

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 671. N:o 20. *Faun. Sv.* N:o 793. *Car. Spinipes.*

SCHRANK *Enum. Inf. Austr.* p. 212. N:o 398. *Car. Spinipes.*

OBSERV. Mares feminæque simillimi. *Car. Spinipes* est Schrankii, sed synonymon ejus Geoffroyanum N:o VIII. omnino falsum, quia thorax cordatus. An sit *Carabus Spinipes* LINNÆI, vix discerni potest, cum descrip^{tio} ejus anceps sit. Plures etiam inveniuntur manibus spinosis, unde magna confusio orta: *Carabus* enim *Spinipes* Sultzeri t. 3. f. 4. *Car. Cephalotes* auctorum est, & *Car. Spinipes* Mulleri Zool. Dan. prodr. p. 79. N:o 852. a *Car. Spinipede* LINNÆI diversissimus,

N:o LXXVI.

N:o LXXVI.

CARABUS FERRUGINEUS.

*Latus, brevis, ferrugineus, oculis
nigris, thorace punctis ordina-
riis duplicibus, elytris striatis
disco impunctatis.*

DESCRIP. TIO.

CAPUT ferrugineum, nitidum: Oculi ni-
gri.

THORAX ferrugineus, nitidus lateribus pa-
rum rotundatis, in medio elytron-
rum latitudine: lineola longitudi-
nali puncto que utrinque ordinario
duplici.

ELYTRA ferruginea, latiora, nitida, puncta-
to-striata, convexa: margine pun-
ctis quibusdam indistintis, mino-
ribus.

ALAE albæ, longiores, immaculatæ.

STERNUM ferrugineum.

ABDOMEN ferrugineum.

PEDES ferruginei.

MAGNIT. longitudine vix Car. Protei, sed
multo latior.

Locus: Habitat in Svecia sub lapidibus minus frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 201. N:o 76. *Car. Ferrugineus.*

LINN. *Syst. Nat.* II. p. 672. N:o 25. *Faun. Sv.* N:o 798. *Car. Ferrugineus.*

VAR. B.

Totus pallidus, oculis cinerascentibus.

Locus: Habitat cum præcedenti, cui simillimus; an nuper e nympha declaratus?

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 201. N:o 77. *Car. Pallens.*

N:o LXXVII.

CARABUS APRICARIUS.

Subtus flavus, supra fusco-orichalceus nitidissimus, thorace postice untrinque bipunctato, elytris undique punctato-stricatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT subtus flavum, *nucha* fusco-orichalcea, nitida: *Maxillæ, Antennæ Palpique ferruginei: Oculi nigri.*

Tho-

THORAX subtus flavus supra fusco-orichalceus, nitidissimus, vix marginatus, in medio latitudine elytrorum: lineola longitudinali punctoque utrinque dupli ordinario.

ELYTRA fusco-orichalcea, nitidissima, punctato-striata: summo margine exteriore subtus flavo, punctis marginalibus majoribus vix ullis distinctis.

STERNUM flavum.

ABDOMEN flavum.

PEDES flavi.

MAGNIT. longitudine Car. Pilicornis, sed latior.

Locus: In colle arenoso Dalecarliæ, in apri-
co semel plures inveni.

SYNON. DE GEER *Ins.* t. IV. p. 101. N:o 19. Car.
Fulvus.

GEOFFR. *Ins.* t. i. p. 162. N:o 43. *Le Bu-
preste fauve.*

VAR. β.

*Supra rufo-piceus, subtus cum antennis pe-
dibusque rufus.*

Locus: Habitat in Uplandia.

OBSERV. Simillimus praecedenti, colore excepto.
Differt a Car. Ferrugineo, elytris punctato-
stria-

striatis, unde etiam synonyma GEOFFRO-JANA & DE GEERIANA ad hanc speciem retuli. A Car. Bicolore, cui statuра, & var. β. colore nimis affinis videtur, differt magnitudine triplo minore margineque baud octo punctato; nec varietas ejus sexus habeatur, quia mares & feminæ, ut antea monui, invicem similissimi sunt.

N:o LXXVIII.

CARABUS ATERRIMUS.

*Niger nitidissimus, thorace convexo,
elytris levissime punctato-striatis:
punctis utrinque tribus discoida-
libus majoribus.*

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* nitidissima.

THORAX dorso nitidissimus, convexus, marginatus, antice acute, postice obtuse angulatus, lineola longitudinali; postice loco punctorum ordinariorum profunde excavatus.

ELY-

ELYTRA nigra, nitidissima, thorace vix latiora, convexiora, levissime striae-to-punctata: striae opacioribus, unde nudis oculis perspiciuntur; in singulo elytro puncta tria profundiora nudis oculis optime perspicua, quorum duo in stria secunda a margine interiore, alterum in medio, alterum postice, & tertium basi proprius in stria tertia; margo exterior etiam punctis minoribus, inermi tamen oculo conspicuis adornatur.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri, nitidi.

MAGNIT. Car. Ruficornem vix æquiparat.

Locus: Habitat sub lapidibus primo vere.

OBSERV. Totus supra nitidissimus, quasi oleo unctus. Ceterum etiam a Carabo Striato differt thorace subquadrato; a sequenti elytris convexioribus, levissime punctato-striatis, punctisque discoidalibus majoribus nudis oculis optime perspicuis.

SYNON. *Carabus Aterrimus.* Herbst.

N:o LXXIX.

CARABUS NIGRITA.

Niger nitidus, thorace utrinque postice subretuso, elytris striatis: punctis utrinque tribus discoidalibus minutissimis; marginalibus majoribus.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum: Oculi fuscescentes.

THORAX niger, nitidus, marginatus, linea longitudinali, punctis ordinariis profunde retusus.

ELYTRA nigra, nitida, striata: in stria secunda a margine interiore puncta duo vix nudis oculis conspicua, quorum alterum in medio, alterum postice, & in stria tertia punctum tertium basi proprius; totus margo exterior etiam punctatus: punctis paulo majoribus nudis oculis conspicuis.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES: *Femora & Tibiae nigra: Tarsi fuscescentes.*

MAGNIT. longitudine Car. Protei, sed pa-
lo angustior; reperiuntur quoque
duplo fere minores, ceterum si-
millimi, vix specie diversi.

Locus: Habitat sub lapidibus frequens.

OBSERV. Mares feminis simillimi præter puncta
marginalia maris distinctiona. Ab Au-
toribus cum Car. Leucophtalmo confu-
sus videtur, apterus vero hic, ille ala-
tus; differt etiam a Car. Striato, cui of-
finis, magnitudine duplo minore, & tho-
race subquadrato.

N:o LXXX.

CARABUS AMBIGUUS.

*Supra niger, subtus piceus, pedibus
flavis, elytris thoraci adnatis:
punctis utrinque duobus di-
scoidalibus.*

DESCRIPTIO.

CAPUT supra nigrum, nitidum, subtus pi-
ceum: *Antennæ Palpique rufo-fu-
lcescentes.*

Tho-

THORAX subitus piceus, supra niger: linea longitudinali punctoque utrinque ordinario levissimo, elytrorum latitudine, iisdemque arcte junctus.

ELYTRA nigra, thorace paulo opaciora, striata: punctis utrinque duobus discoidalibus nudis oculis in conspicuis, & quibusdam paulo majoribus in margine exteriori.

A L E longiores, albo-hyalinæ, immaculatae.

STERNUM piceum.

ABDOMEN piceum.

PEDES flavi, interdum rufi.

MAGNIT. Carabum Flavipedem æquat.

LOCUS: Habitat sub lapidibus, juxta agros Upfaliæ. S. TÖRNER.

OBSERV. Variat varius punctis elytrorum discoidalibus utrinque tribus.

Statura & habitus omnino Car. Flavipedis.

N:o LXXXI.

CARABUS OVATUS.

Ovatus, thorace antice capit is, postice elytrorum latitudine utrisque adnato, elytris striatis: punctis discoidalibus nullis,

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum: *Oculi pupillati; Antennæ sæpius basi rufescentes.*

THORAX basi latitudine capit is, postice latitudine elytrorum, convexus, vix marginatus: lineola longitudinali punctisque ordinariis rarius duplicibus, levioribus.

ELYTRA nigra, antice truncata, thorace arcte juncta, striata, dimidio corpore longiora: margine exteriore subpunctato, punctis discoidalibus nullis.

ALÆ albæ: venis nigris, macula marginali fusca.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES nigri.

Locus: Habitat frequens sub lapidibus.

SrN.

SYNON. LINN. *Faun. Sv.* N:o 799. *Car. Vulgaris var. β.*

V A R. β.

*Supra obscure æneus, subtus cum antennis
pedibusque piceus.*

SYNON. FABR. *Mant. Inf.* p. 201. N:o 70. *Car. Vul-*
garis.

LINN. *Syst. Nat.* 11. p. 672. N:o 27. *Faun.*
Sv. N:o 799. *Car. Vulgaris var. α.*

V A R. γ.

Supra viridi-æneus, subtus niger.

V A R. δ.

Supra nigro-cærulescens, subtus niger ni-
tidus.

SYNON. DE GEER *Inf. t. IV.* p. 98. N:o 15. *Car.*
Æneus.

OBSERV. Omnes bæ varietates habitu & statura
simillimæ, sed magnitudo speciei variat.
Jam longitudine Carab. Protei, jam du-
plo fere brevior, semper vero, ratione ma-
gnitudinis multo latior est.

A P P E N D I X *).

STAPHYLINUS.

11-12. *S. ALPINUS*: *niger nitidus, elytris pedibusque testaceis, antennis mediocribus.*

Descr. *Caput thorace latius, nigrum, nitidum: Oculi globosi; Palpi rufi; Antennæ dimidii corporis longitudine, basi rufæ. Thorax niger, nitidus, capite elytrisque angustior. Elytra depressa, testacea, subtilissime punctata, capitis thoracisque longitudine. Alæ albæ. Sturnum & Abdomen nigra, nitida. Pedes testacei.*

Magnitudo: St. Caraboidis fere longitudine sed angustior.

Locus: hab. in falicibus alpium Dalecarliae, præsertim in monte Stådjan, mense Junii.

Obs. Summa affinitas St. Caraboidis, sed omnino differt colore, loco natali, antennis brevioribus, & corpore angustiore.

N:o 14-15.

*) Post editam typis, exacto anno, Staphylinorum Monographiam, partim ipse reperi, partim amicis acceptas refereo Species non nullas ejusdem generis novas, in patria nuper detectas, quarum descriptiones, omni abjecta cunctatione huic opellæ subjungere liceat. Pertractaturus, si fata sicut, proxima Monographia, Curculiones Sveciae, pari modo ejusdem clausulæ Caraborum Species inferere constitui, quæ harum numero desiderantur, quasque ad illud tempus aliorum Entomologorum opera benigne mecum communicatas, gratus agnovero.

N:o 14-15. S. PILICORNIS: *niger, labio pedibusque brunneis, antennis pilosis, elytrorum sutura unistriata.*

Descr. Caput thorace vix latius, nigrum nitidum, subrotundatum: labium pulpiteque brunnea; Antennæ pilosæ capitis thoracisque fere longitudine. Thorax niger, nitidus, convexus, postice rotundatus, antice vix angulatus. Elytra nigra, nitida, thoracis longitudine: stria utrinque unica futurali. Sternum nigrum. Abdomen nigrum, nitidum, dimidii corporis fere longitudine. Pedes rufo-brunnei.

Magnitudo: cum varietate β. St. Fulgidi æmulatur.

Locus: habitat sub cortice truncorum pini. Dom. GYLLENHAL.

Obs. Differt ab omnibus St. nigris, antennis pilosis, elytrisque margine futurali unistriato.

N:o 17-18. St. FRACTICORNIS: *niger, pedibus rufis, antennis fractis subclavatis, thorace breviore postice rotundato.*

Descr. Caput thoracis latitudine nigrum, opacum: Antennæ capite thoraceque breviores, fractæ: primo articulo ut in quibusdam Curculionibus, longissimo, apice incrassatæ. Thorax niger, subtilissime punctatus, convexus, postice rotundatus, longitudine latitudinis. Elytra nigra, subtilissime punctata, thorace vix longiora. Alæ albæ. Sternum & Abdomen nigra: ano obso-

le-

lete rufescente. *Pedes* fusco-brunnei.
Magnitudo St. Orbiculatum æquiparat.
Locus: hab. in Vestrogothia; tempore
vespertino volitans in arvis. Dom. GYL-
LENHAL.

Obs. differt St. Glaberrimo, antennis
subclavatis, thorace breviore, rotundiore,
opaciore; a reliquis nigris, an-
tennis fractis.

V A R. B.

*Niger, antennis fractis apice incrassatis, pedibus
rufis, elytris rubris, margine omni, posteriore
excepto, nigro.*

Locus: habitat cum præcedenti, cui co-
lore excepto, simillimus.

N:o 17-18. St. GLABERRIMUS: *niger, pedibus fu-
sco-pallidis, antennis fractis filiformibus,
thorace longiore.*

Descr. *Caput* nigrum, nitidum, elonga-
tum; *Antennæ* fractæ, filiformes, capi-
tis thoracisque vix longitudine: pri-
mo articulo longissimo. *Thorax* niger,
nitidus, latitudine longior. *Elytra* ni-
gra, thorace opaciora, subtilissime pun-
ctata, thoracis longitudine & latitudine.
Sternum nigrum. *Abdomen* nigrum, di-
midii corporis longitudine. *Pedes* fu-
sco-pallidi.

Magnitudo vix St. Quadratum attingit.
Locus: habitat sub muscis & lapidibus,
locis subhumidis tempore vernali in
Vestrogothia. Dom. GYLLENHAL; in
Uplandia. ipse.

Synon. St. Glaberrimus, Herbst. in Fuesis Insectorum-archiv.

N:o 34-35.

N:o 34-35. St. SUBSTRIATUS: *rufus*, capite elytrisque *nigris*, elytris *substriatis*.

Descr. Caput thorace paulo angustius, nigrum, nitidum: *Palpi rufi*; *Antennæ rufæ*, capite thoraceque breviores, vix extrorsum crassiores. *Thorax rufus*, glaberrimus, longitudine latior, antice posticeque truncatus. *Elytra nigra*, subdepressa, thorace longiora, substriata. *Sternum rufum*. *Abdomen rufum*, subpilosum, longitudine dimidii corporis. *Pedes breviores, rufi*.

Magnitudo: St. Tricornem æquiparat.

Locus: habitat sub cortice arborum Vestrogothiæ rarius. Dom. GYLLENHAL.

Obs. colore & elytris substriatis optimè dignoscitur.

N:o 34-35. St. CINCTUS: *niger nitidus*, elytris punctis longitudinalibus triplici serie excavatis: margine ferrugineo.

Descr. Caput thorace angustius, nigrum, nitidum: *Antennæ filiformes* capitis thoracisque longitudine. *Thorax convexus*, niger, nitidus. *Elytra thorace paulo longiora*, nigra, nitida, margine tenuissime ferrugineo, punctis vix nudis oculis conspicuis triplice serie excavatis. *Sternum nigrum*. *Abdomen nigrum*, vix thoracis elytrorumque longitudine. *Pedes nigri*.

Magnitudo St. Variantem var. α , cui statura similis, paulo superat.

Locus: hab. in Svecia australi rarius.

N:o 53-54. St. **PUBESCENS**: *fuscus pubescens, pedibus, thoracis lateribus elytrorumque basi pallidis, penultimo segmento abdominis reliquis haud longiore.*

Descr. Caput thorace angustius, nigrum, minutum: Palpi pallidi; Antennæ capite thoraceque longiores. Thorax magnus, convexus, fuscus lateribus pallidis, undique hirsutie brevissima tectus. Elytra capitis thoracisque longitudine, fuscata, tenuissime villosa; basi macula pallida futuram haud attingente. Sternum fuscum. Abdomen fuscum, in vivo conicum, acuminatum, longissimum. Pedes pallidi. Magnitudo & statura St. Disparis, a quo differt corpore omnino pubescente, & penultimo segmento abdominis breviore.

Locus: habitat in putridis & cellis subterraneis.

VAR. B.

Fuscus pubescens, pedibus pallidis.

Locus: hab. cum var. præcedenti, cui simillimus, ut separari nequeat,

E M E N D A N D A.

- p. 9. lin. 14. legatur *levioribus*
- 13. l. 7. leg. *rugose punctato-striatis*
- 19. l. 4. hæc obſervatio referatur ad var. sequentem B. pone LOCUM.
- 23. l. 3. *Elytris viridi-æneis*
- 88. l. 4. *Elaphrus*
- 104. l. 2. *simillimus*
- 123. l. 21. *falseum*
- 127. l. 13. *levissime*.

